SATURA PHILOLOGICA. H. SAUPPIO OBTULIT AMICORUM CONLEGARUM...

Satura







SATVRA PHILOLOGA

HERMANNO SAVPPIO

OBTVLIT

AMICORVM CONLEGARVM DECAS



BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCLXXVIIII

VIRO · IN · PAVCIS · COLENDO

HERMANNO · SAVPPIO

VNIVERSITATIS · GOTTINGENSIS · COLVMINI

ANTIQVITATIS · INVESTIGATORI · SAGACISSIMO · DOCTORI · ACERRIMO
CONLEGAE · EXIMIO · AMICO · PERHVMANO

DIE · VIIII · MENSIS · DECEMBRIS · ANNI · MDCCCLXXVIIII

ANNOS · SEPTVAGINTA · FELICITER · AC · SALVTARITER · PERACTOS
EX · SENTENTIA · GRATVLANTVR
MVLTORVMQVE · ANNORVM · SALVTEM · VIGOREM · PROSPERITATEM
ANIMO · PIENTISSIMO · EXOPTANT

ERNESTVS · CVRTIVS   CVRTIVS · WACHSMVTH
CONLEGAE · OLIM · GOTTINGENSES

FRIDERICVS · BLASS   GVILELMVS · DITTENBERGER
GVILELMVS · GVRLITT   EDVARDVS · HILLER
RVDOLFVS · HIRZEL   VLRICVS · KOEHLER
FRIDERICVS · SCHOELL   RVDOLFVS · SCHOELL
DISCIPVLI · OLIM · GOTTINGENSES

INDEX COMMENTATIONUM

DE A. PERSII FLACCI PATRIA

SCRIPSIT

ERNESTUS CURTIUS

Quotiescumque mihi contigit, ut Italiae superioris litus, quod Ligustico sinu alluitur, perlustrarem, non potui satis mirari, cum hanc regionem ab iis, qui antiquam Italiae historiam tractaverunt, nimis neglectam esse videbam. Nam amoenitas quidem litoris notissima est, ita ut honoris causa Ripa vocari soleat, tamquam paeninsulae litora omnia pulchritudine antecedens: neque ullum equidem novi terrarum angulum, qui ab antiquis scriptoribus tantopere collaudatus et celebratus sit atque sinus ille maritimus, qui hodie Spezia appellatur. Cantavit eum pater Ennius, gravissimis verbis cives cohortans, ut Lunai portum cognoscant; eundem scimus et a Persio et a Gallo poetis frequentatum esse, ut tepida bruma illic atque beatissimo otio fruerentur. Celeberrima autem locorum amoenitas, qua etiam nunc et Itali et Hyperborei alliciuntur, cum eiusmodi sit, ut scopulis in mare longe prominentibus, crebris recessibus, insulis denique prope adiacentibus efficiatur, hoc litus non tantum ad voluptatem hominum et ad delicias otiosorum poetarum comparatum esse apparet, sed fieri non potuit, quin regio sic conformata ab antiquissimo tempore sedes commercii inter Italos populosque transmarinos esset. Quare mirum esse dixi, tantum de iis, qui conterminos in hoc litore agros incolebant, gentibus quaestiones a viris doctis institutas esse: qui nihil aliud curabant quam ut Tuscorum et Ligurum fines quam accuratissime distinguerentur. Neque obscurum est, quo consilio hoc fecerint. Itali enim qui nunc sunt ea solent esse

ambitione, ut ex veterum Italorum gloria suam quaeque urbs partem arripere studeat. Sic postquam Genua totius sinus Ligustici urbs primaria facta est, Genuenses, Columbo suo non contenti, cum viros illinc oriundos quotquot in antiquitate inclaruerunt, sibi vindicare studerent, etiam Volaterranum Persium, portus Lunensis accolam, Ligurem fecerunt. Hoc consilio scripta est dissertatio, quam de Persii origine et patria Gasparus Massa Genuae edidit a. MDCLXVII. Accuratius post Mazocchium (Dissert. Corton. III) de portu Lunensi scripsit Carolus Promis, qui de investiganda antiquitate quantopere meruerit, a Ricardo Schoene nuper enarratum est [1]). Sed is quoque omisit, quae ad historiam commercii in mari mediterraneo pertinent. Neque Germani ea qua par est diligentia de huius litoris natura atque historia exposuerunt. Etenim si in libro quem de Etruscis Muellerus scripsit, Deeckius iterum edidit, haec fere legimus (I p. 278): 'non dubitamus, quin hic portus Lunensis iam ante quam a Liguribus occupatus est, notus fuerit': quis quaeso putabit talem portum, sicut insulam quandam trans mare sitam, quasi fortuito detegi! Immo, portus notissimus erat, cum gentes, quae in montibus accolebant, ignotae erant; nam ubi quis omnem et Graeciae et Italiae historiam antiquam ab insulis litori adiacentibus et promontoriis incipere intellexit, etiam horum locorum, ubi Tuscorum et Ligurum confinia erant, historiam in portu maritimo incunabula sua atque origines habere dubitare non poterit.

Neque defuerunt, qui huius antiquissimae historiae litoralis vestigia feliciter indagarent. Praeivit Ioannes Fraccia, qui in libro quem de Segestae antiquitatibus scripsit primus Segestana nomina prope Lunam indicavit. Secutus est Adolfus Holm, in historia Siciliae (I p. 89. 375): cui lubentissime adsentior non fortuito factum esse, ut tria eiusdem gentis nomina (Segesta, Entella, Eryx) in eodem portu Lunensi reperiantur; quamquam hoc mihi persuadere non potuit vir doctissimus, ex interiore Asia Elymos illos a Phoenicibus accitos esse, quos secum in navibus deducerent. Certum autem est utrosque etiam huc venisse coniunctos atque hos locos commercio, quod maris mediterranei accolas in unam quasi societatem coniuncturum erat, primos aperuisse. Adsentitur etiam Helbigius in libro de Italis Padanis p. 37.

---

[1]) Arch. Zeitung XXXVI p. 1 sqq.

Egregie autem convenit locorum situs cum iis, quae de coloniis tradita sunt quas Phoenices condiderunt, ἄκρας τε ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ ἀπολαβόντες καὶ τὰ ἐπικείμενα νησίδια ἐμπορίας ἕνεκα (Thuc. VI, 2). Portus est tam rarae magnitudinis et securitatis, ut non potuerit a Phoenicibus neglegi, agris fertilissimis cinctus. Insula adiacet angusto freto seiuncta, quae dicitur Palmaria, graece Φοινικοῦσσα. E regione insulae in ipso promontorio, quod fretum dominatur, vicus est cum ecclesia antiquissimi sacelli ruderibus superstructa, cuius vici nomen Veneris portum hic olim fuisse testatur. Quare cum in litore proxime opposito eiusdem deae memoria in vico, qui Lerici vocatur, conservata sit, non dubium est, Sidonios hoc loco, qui incomparabili opportunitate homines maritimos allicere debebat, emporium habuisse et consueto more in emporio deae suae sacra constituisse: quae dea cum lunaris sit, etiam nomen portus Σελήνης hinc originem habere verisimillimum est.

Post Phoenices qui in mare Sardum devenerunt, Iolaenses afferuntur, Iolaum patrem colentes, Herculis Tyrii comitem, nec tamen ipsi barbari, sed βαρβάρων σύνοικοι Strabone teste: et quidquid de origine eorum statueris, indolem Graecis cognatam indicant et alia et quae de daedalearum artium peritia traduntur. Certior temporum memoria incipit a Phocaeensium adventu, qui repetitis expeditionibus Cyrnum petierant insulam. Hinc in Italiam traiecerunt. Etenim qui mari pollebant populi omnes id maxime curaverunt, ut continentis litus e regione positum occuparent: id quod Rhodii, Samii, Lesbii fecerunt. Idem Phocaeenses fecisse rectissime coniecit Millingen [1]. Quamquam igitur rerum scriptores, ut solent, nihil nisi certaminum discrimina, quae advenis in mari barbaro obeunda erant, tradunt, per totam oram maritimam, quae per Aethaliam insulam in duas quasi partes dividitur, disciplinae Graecae, quae Phocaeensibus maxime debebatur, vestigia supersunt permulta.

A meridie orsus affero Telamonem locum maxime memorabilem, cuius situm cum portu antiquo, cum fundamentis murorum introitum tuentium et sepulcris primus descripsit François [2]: atque multa artis opera, quae novissimo tempore illic reperta esse dicuntur, satis pro-

---

[1] Considérations p. 163.
[2] Bullett. inst. arch. 1851 n. 1.

bant praeter nomen antiquum graecae antiquitatis vestigia non pauca illic superesse. Etiam Vetulonia urbs, cuius portus erat Telamon, quamquam paullo interius sita, urbs maritima fuit. Testis est Neptunus remum gerens (vel, ut volunt alii, Telamon), quem Vetulonenses in monumento Lateranensi ut deum tutelarem suum posuerunt[1]).

Multo tutior est qui Aethalia insula clauditur portus Populoniae, e cuius vicinitate prodiit Apollinis statua aenea, Ἀθαναίᾳ δεκάταν inscripta, musei Parisini ornamentum clarissimum. Volaterranorum quidem colonia dicebatur Populonia, sed origines multo antiquiores esse nemo dubitabit, neque dubitavit Servius, qui a Corsica conditam esse urbem refert[2]): id quod iam Lanzius ita interpretatus est, ut Phocaeenses conditores esse diceret[3]). Erat autem prae ceteris urbs maris, ἄριστον ἀφετήριον ἐπὶ τὰς τρεῖς νήσους, ut ait Strabo, atque ita in centro quasi posita, ut praeter Aethaliam proxime adiacentem et Corsica et Sardinia appareant. Addit idem etiam ex montibus, qui portum Lunensem cingunt, prospectum usque ad Sardiniam extendi. Diligentissime enim veteres geographi quaenam e singulis locis maritimis vel insulae vel promontoria prospici possint, afferre solent, quia populi maritimi hoc maxime curabant, si sacra et emporia in litore aliquo transmarina condituri erant. Graecos autem homines non tantum condidisse urbem, sed etiam per longum tempus sedem illic habuisse nulla re magis probatur quam uberrima nummorum et aureorum et argenteorum serie, qui et originem Phocaicam demonstrant et commercium cum Atheniensibus[4]).

In litore quod a Populonia septentrionem versus porrigitur, vestigia graeca et tenuiora sunt et rariora, quamquam nomina quae ex antiquitate tradita sunt, et Pisae nomen et portus Σελήνης, satis probant id quod per se intellegitur, hoc litus ab iis gentibus, quae per mare tyrrhenum commercium faciebant, neglegi non potuisse. Sed alluvie maris factum est, ut litus deformaretur et monumenta si qua conservata sunt, obtegerentur; accedit quod in toto litore loca desunt, quae ad

---

[1]) Museum des Lateran von Benndorf-Schöne n. 212.
[2]) ad Aen. X, 172.
[3]) Ling. Etr. II 71.
[4]) Gamurrini, Le monete d'oro di Populonia (Periodico di Numismatica VI).

condendas urbes maioris ambitus invitare possent homines maritimos. Id quod etiam in sinum Lunensem cadit,

quo non spatiosior alter
innumeras cepisse rates et claudere pontum:

sed idem ad continentem aditum habet difficiliorem neque in montium, quibus cingitur, radicibus situs est, qui ad urbem scite aedificandam et cum arce bene munita coniungendam a natura quasi commendatus esse videatur. Quare factum est, ut graeci homines, qui haec litora incolebant, magis dispersi habitarent quam in unum quoddam centrum collecti. Evenit igitur, quod Aristoteles dixit: οὐ τῶν τυχόντων ἡ πόλις. Permultis enim, quae non ubique una reperiuntur, commodis et naturalibus et in hominum, qui conveniunt, ingenio positis opus est, ut colonorum in terram peregrinam forte delatorum conventus urbem, quae hoc nomine digna sit, constituere possit.

Quae cum ita sint, facile intellegitur, cur Graeci qui ab Aethaliae insulae freto usque ad sinum Lunensem litus incolebant, populis mediterraneis non tam strenue ac feliciter resistere potuerint atque Cumani et ceteri magnarum urbium moenibus muniti. Tusci igitur, qui maris pericula reformidantes in montibus urbes suas collocaverant, postquam ad oram peregrinis eripiendam descenderunt, sine magnis certaminibus hoc videntur effecisse, ut marginem quasi graecum terrae barbarae adnexum ipsi occuparent, sicut Lydi fecerunt Ioniam ingressi et post Lydos Persae. Id quod fieri non potuit, quin urbes barbarae ipsae ingenium et mores mutarent.

Hinc igitur explicatur, quomodo effloruerint res Volaterranorum, qui montem illum, rupe praecipite cinctum, natura munitissimum incolendum elegerunt, unde maris Tyrrheni litus velut a naturali quodam capitolio atque imperii sede prospicitur. Postquam enim litus adiunctum est imperio, barbarorum arx mediterranea urbs maritima facta est classe pollens; atque disciplina graeca, cuius etiam in hanc regionem non parvulum quendam rivulum influxisse vidimus, et ipsa imbuta. Etenim praeter nummorum graecorum copiam in urbe repertam etiam fabulae Graecorum quantopere placuerint Volaterranis, artis monumenta comprobant. Frequentissima enim sunt in cinerariorum anaglyphis, quae ex Odyssea deprompta sint, frequentissimae deorum marinorum figurae.

Itaque quamquam Graecis in hoc litore non contigit, ut urbes con-

derent, quarum cives libertatem contra barbaros feliciter tuentes immortalem apud posteros laudem acquirerent, tamen non prorsus exstincta est eorum memoria, bonumque semen terrae mandatum non prorsus inutile fuit: siquidem etiam inter barbaros qui haec loca incolebant disciplinae graecae vestigia non evanuerunt.

Testis est A. Persius Volaterranus, de cuius patria quae inter viros doctos dissensio fuit, iam ad nihil recidit. Etenim si a promontorio Populoniae usque ad portum Lunae oram maritimam illi urbi paruisse recte statuimus, civis Volaterranus intra patriae urbis fines villam ad sinum Lunensem habuit. Quod autem poeta natione Tuscus sed graece eruditus, Graeciam ut alteram patriam amans, Platonis imitator et comoediae atticae, hanc prae ceteris regionem adamavit, non mirum est. Nam etiam hodie qui Graeciam amant, hunc situm, qualis in Italia unicus est, cum Ennio admirantes graecum mare videre, graecam auram persentiscere sibi videntur.

Quod autem hac scribendi occasione oblata in hanc materiam incidi a studiis meis paullo alieniorem, propterea factum est, quia cum in Hermanni Sauppii honorem liber edendus esset, nihil mihi optatius visum est quam illius itineris, quod ante hos XII annos una per Italiam fecimus, suavissimam memoriam recolere. Nam neque in otio feliciter fruendo neque in muneribus publicis strenue obeundis neque in studiis litterarum et artium fovendis ullum habui consultorem benigniorem, socium amabiliorem, amicum magis fidum et sincerum quam Hermannum Sauppium.

DE GNOMOLOGIO PALATINO INEDITO

SCRIPSIT

CURTIUS WACHSMUTH

Fatorum vi, collega dilectissime, TIBI prae ceteris notorum Gottinga tractus Heidelbergam, id est (ut alia eaque multo graviora nunc mittam) ex urbe libris affluentissima in litteratae supellectilis inopiam haud levem, propria tamen ea laude aliquatenus me consolatus sum, quam sibi vindicat bibliotheca Palatina. Codicum enim Graecorum et Latinorum quondam ibi asservatorum quamvis maior pars etiamnunc in Vaticana exulet, inter eos tamen quibus post tot discrimina rerum recuperatis Heidelbergae uti licet habentur haud pauci dignissimi qui accuratissime excutiantur, nonnulli vel unici, eorumque copiae sunt minimedum exhaustae: ita ut hac saltem ex parte Gottingensis mediocritas longe longeque apud nos superetur. Diem igitur natalem TIBI septuagesimum ex animi sententia congratulabundus unde commentationi, quam ad TE, ut olim ad Q. Caerellium Censorinus libellum suum, 'natalicii titulo' misi, commendationis aliquid adsciscam nisi ex hoc ipso thesauro Palatino?

Legitur vero in codice Palatino Graeco numero 356 signato (saeculi XIV), quem olim possedit Arsenius[1]) episcopus Monembasiae, ut propria manu in primo folio codicis adscripsit τὸ παρὸν βιβλίον κτῆμα ἐστιν ἀρσενίου τοῦ μονεμβασίας, inde a folio 152 verso usque ad folium 155 rectum gnomologium a nemine cognitum.

Cuius singularis virtus nequaquam eo cernitur, quod contineat per-

---

[1]) Expedit hoc adnotare, quia ex hoc codice Palatino probabiliter petiit nonnulla ad violetum suum ornandum, pariter atque adhibuisse iudicandus est codicem Vindobonensem theol. CXLIX Ness., XCIII Lambecc., quem e libris Arsenii fuisse nuper testatus est Dilesius Mus. Rhen. XXIX p. 114 sq.

multas sententias in editis florilegiis non exhibitas (immo inter 160 quas habet paucae sunt prorsus ineditae); sed, id quod multo maioris est momenti, hoc demum adhibito poteris cum de natura et compositione florilegii Monacensis tum de fonte quodam praecipuo omnium eorum quae post Stobaeum extiterunt florilegiorum rectum iudicium ferre, collectionem dico sententiarum Democriti Isocratis Epictetique. Itaque visum est continuare nunc et latius propagare ea studia, quorum primitias olim in Gottingensibus programmatis tribus anni h. s. septuagesimi primi et in dissertatiuncula quadam eiusdem anni publici iuris feci. Atque cum TV ea quae tum disputationibus operosis sane et magna locorum collatorum copia molestioribus effecerim comprobaveris consensu TVO, vide num nunc quoque probabilem neque prorsus infructuosam operam huic generi litterarum navaverim per se viliori quidem et a multis philologis prorsus despicatui habito, sed in quo insunt haud pauca melioris notae; eis ipsis tamen recte uti nemo potest nisi tota antiquorum florilegiorum historia diligenter sit pervestigata et enarrata atque certo iudicio constitutum ex quibus fontibus singula in recentiora recentissimaque Byzantinorum anthologia fluxerint.

Ecce igitur gnomologium Palatinum ipsum ineditum, cuius singulis sententiis adscripsi semper quotquot reperire potui locos, quibus eaedem iteratae sint indicatis ubicumque licuit auctorum nominibus (quo continetur primarium eius officium, qui talia scripta nunc editurus est). Praeterea adnotationem subieci criticam, in qua prorsus futiles tot recentium codicum corruptelas constipare nihil attinuit; apposui solum quae sive suapte natura videbantur alicuius momenti sive idcirco memorabiles, quod rationem quae inter singula florilegia eorumque fontes intercedit aperiunt. Apparet vero in haec gnomologia non licere coniectura eam scripturam inferre quam primariam fuisse demonstrare possumus; immo id ipsum haud raro maximopere attendendum est, quo modo in illis primaria verba commutata sint et in sententiae generalis formam redacta vel ad recentiorum temporum captum accommodata.

Conferenda autem sunt — ut uno conspectu comprehendam, quae magna ex parte paucissimis sint nota, ex aliqua omnes lateant[1]) — haec fere gnomologia:

---

[1]) Ne de codice quidem Maximi a Combefisio adhibito satis recte rettulit qui in eam rem dedita opera inquisivit Dresslerus l. i. s. p. 14.

1) Florilegium Monacense (sententiarum 254) ex codice Monacensi VIII fol. 39 sq. editum a Walzio post Arsenii violetum (Stuttgart. 1832) p. 499—503, iteratum a Meinekio Stobaei editionis Teubnerianae vol. IV 267—290. Idem florilegium extare in codicibus Parisinis 1983 et 2977 testatus est Walzius; differt tamen quem Nauckius philol. IX p. 367 addidit codex Laurentianus pl. LVIII, 4; vide infra. De eius compositione mox enucleatius dicetur.

2) Florilegium Leidense (sententiarum 257) ex codice Vossiano Graeco 13, saec. XV, editum a Laurentio Rynhardo Beynen Lugd. Bat. a. 1837 'specimine academico inaugurali quo continentur γνῶμαι κατ' ἐκλογὴν ἐκ τῶν Δημοκρίτου 'Επικούρου καὶ ἑτέρων φιλοσόφων καὶ ποιητῶν καὶ ῥητόρων'. Praeter sedecim (26. 42. 43. 58. 78. 79. 80. 109. 114. 149. 150. 177. 205. 231. 232. 255) easdem id sententias exhibet atque florilegium Monacense et secundum eundem ordinem digestas, sed in paullo maiorem numerum discriptas. Neque multum in singulis lectio discrepat nisi sententiae 159 Mon. = 149 Leid., quae in hoc sic se habet: γυναικὶ ἀπόρρητα μὴ θαρρήσεις, in illo incredibiliter mutata est in hunc modum: καθ' ἑκάστην ἡμέραν διατίθου γυναικὶ ἀπόρρητα. — Usurpavi exemplum bibliothecae Gottingensis.

3) Ioannis Stobaei anthologium quattuor librorum, quorum duo priores misere mutilati nunc 'eclogarum' titulo significantur, 'florilegii' duo posteriores. Notum est in Ioannis Damasceni quod fertur florilegio eius capita nonnulla per codices non tradita legi, quae quo modo certa ratione a ceteris secerni possint exposui nuper 'de Stobaei eclogis' (1871) p. 22 sqq.

4) Antonii 'Melissae' duo libri quorum omnis memoria nunc nititur editione principe Conradi Gesneri sic inscripta 'Sententiarum sive capitum theologicorum praecipue ex sacris et profanis libris tomi tres per Antonium et Maximum monachos. Christ. Froschoverus excudebat Tiguri a. 1546'. Latinae vero interpretationis ibidem adnexae sciendum est priorem partem aliquotiens (ut puta I c. 61 et 62) supplementis adauctam esse, quae codex tunc Augustanus, nunc Monacensis n. 429 Gesnero suppeditavit, quamvis non ipsam Melissam sed similem admodum collectionem continens (cf. Dressler, quaest. ad Max. et Anton. gnomolog. spect. 1869. p. 32 sqq.). Ceterum et codex Mendozzae, ex quo Graeca Gesnerus edidit, nunc periit neque ullum alium hodie quisquam

vidit; etiam Vaticanum illum quem 'de Stobaci eclogis' p. 21 n. 1 significavi Dilesius testatur exemplum esse Maximi, plane simile ei quod ex Laurentiano IX 29 per Dresslerum innotuit.

5) Maximi 'Eclogae' in 71 capita digestae, traditae per diversissima exempla, in quibus et ordo et numerus sententiarum variatur. Quorum duo adhuc usque impressa sunt. Codicem Mendozzae, quem Gesnerus in editione principe adhibuit, cognoscere licet ex Ioannis Ribitti Sabaudi interpretatione latina illic addita, cum in Graecis Gesnerus et omisit permulta (ea omnia quae apud Antonium se legere meminit) et nonnulla aliena invexit (ex codice Augustano, ut c. 46 et 54 binas ultimas sententias). Alterum codicem, sibi a sacerdote de Ballesdens subministratum, sed mancum eum, quippe in quo et octo capita priora nonique principium et novem capita ultima (63—71) ac 62 capitis maxima pars vel oblitterata vel prorsus deperdita fuerint, repraesentavit Combefisius S. Maximi Confessoris editionis (a. 1675) vol. alt. p. 560, 28 usque ad p. 673, 8 [1]). Cavendum igitur est, ne in octo prioribus et decem ultimis capitibus adhibeas Combefisianam, quippe in qua sine codice temere multa administraverit editor, plerumque contentus omnia quae apud Gesnerum deerant, ex Antonio constipata uno tenore addidisse vel praeter auctoritatem Ribitti interdum adiectis sententiis. Obiter praeterea relatum est a Dresslero, Tischendorfio, me ipso de Cahirensi, Vaticanis, Laurentianis, Coislinianis aliis codicibus, plenius enarratus Lipsiensis a Westermanno programmate Lipsiensi a. 1864 atque unus Vaticanus saeculi X (immo XII [2]) ab Angelo Maio script. vet. n. coll. p. XXV—XXVIII, 527, 532, 535—547, 556—559: accuratissime denique duos, Laurentianum VII 15 saec. X—XI et Neapolitanum III B 34 saec. XIV, Erwinus Rohde contulit, qui liberaliter mihi schedulas suas utendas concessit, ita ut mihi de quattuor Maximi exemplis constaret.

Antonius et Maximus ita redeunt ad eundem fontem, τῶν παραλλήλων librum, quode dixi 'de Stob. eclog.' p. 21, ut ambobus collatis illius collectionis et materia et singulorum capitum dispositio fere possit restitui.

---

[1]) Vide quae ipse exposuit vol. II p. 719, 722 adn. 28, 730 adn. 124.

[2]) Esse enim eum n. 741 quode dixi 'de Stob. eclog.' p. 21, nunc affirmo; item contendo contra Maium, cum continuisse 71 capita.

6) Florileginm q. d. Ioannis Damasceni Laurentianum de quo accuratius duobus programmatis Gottingensibus a. 1871 disserui. Ibidem demonstravi praeter sacra et Aelianea quaedam exempla cum Stobaeum (v. supra) compilatum esse tum parallelorum librum, ad cuius imaginem reconcinnandam aliquantum valet Laurentiana sylloge [1]).

7) Porphyrii epistola ad Marcellam mutila, ex Ambrosiano primum a. 1816 ab Angelo Maio edita, nunc iterata egregia Nauckii opera 'Porphyrii opusculorum trium' p. 193 sqq.

8) Γνῶμαι Δημοκράτους, olim ab Holstenio protractae ex Barberino codice, melius ex Palatino Heidelbergensi editae ab Orellio opusc. sentent. vol. I p. 80 sqq., de quibus vide nunc diligenter disserentem Lortzingium 'Ueber die ethischen Fragmente Demokrits' (Berol. 1873) p. 9 sqq.

9) Demophili similitudines (ἐκ τῶν Πυθαγορείων ὅμοια) ab Holstenio 1638 e Vaticano editae, iteratae ab Orellio opusc. sent. I p. 4 sqq. et a Mullachio frg. phil. I p. 488 sqq.

10) Demophili sententiae Pythagoricae, indidem ab Holstenio editae, item repetitae ab Orellio I p. 36 sqq. et Mullachio I p. 497 sqq.: sunt eae dispositae ex litterarum ordine, a quibus incipiunt prima singularum verba.

11) Sexti sive Xysti sive Sixti enchiridion, latine versum a Rufino, quod post Orellios et Mullachios nunc iteratum est programmate Tubingensi a. 1879 sic inscripto: 'Annulus Rufini I Sententiae Sextiae, neu herausg. von Tobler'.

12) 'Excerpta Vindobonensia' descripta e codice Vindobonensi Nessel. theol. CXXVIII, Lambecc. theol. CCCXX, saec. XIII vel XIV, edita a Friderico Ritschelio programmate Bonnensi a. 1839 (= Opusc. I p. 560 sqq.), iterata Stobaei Meinekiani vol. IV p. 290 sqq.

13) 'Gnomica Basileensia', quo nomine significo collectionem insertam libro rarissimo qui Basileae ex aedibus I. Frobenii a. 1521 prodiit, 'Scriptores aliquot gnomici, iis, qui Graecarum litterarum candidati sunt, utilissimi'; ibi p. 142—182 leguntur, inscripta ἀνδρῶν

---

[1]) Unius capitis imaginem proposui 'de Stob. eclog.' p. 26. 27, ubi debui etiam commemorare, duobus illis locis, quibus Maximus Combefisii discedit ab ordine, quo singulae sententiae in parallelis sese exceperunt, Ribittianam cum eo consentire; addo nunc idem cadere in Laurentianum Neapolitanumque.

ἐπιστήμων γνῶμαι, subscripta τέλος τῶν φιλοσόφων γνωμῶν, in indice auctorum vero sic descripta: 'illustrium virorum sententiae quaedam philosophicae': quae tamen unde petierit nusquam aperuit Frobenius. Mihi licuit Dresdensis bibliothecae exemplo uti. Haec collectio continet 297 apophthegmata et sententias, digesta ex ordine litterarum quibus auctorum nomina incohantur; ipsa tamen valde mutilata est. Integrum enim solum est principium litteras A usque ad E complectens, quarum haec sunt nomina: Aeschines (1)[1], Aeschylus (2), Aesopus (3—7), Alexander (8—17), Amasis (18), Amphis (19), Anaxagoras (20), Anacharsis (21—24), Ἀναξαμήνιος (25), Antagoras (26), Antigonus (27), Antisthenes (28—30), Antiphanes (31. 32), Apelles (33), Apollonius (34—38), Aristarchus (39), Aristides (40—42), Aristippus (43—45), Aristoteles (46—59), Aristonymus (60—62), Arcesilaus (63); Babylas (64), Barnabas (65), Basilius (66—87), Benedictus (88), Βεσελεήλ (89), Bias (90—111), Βλάσιος (112); Gaius (113), Gelasius (114. 115), Gennadius (116), Gerbasius (117), Germanus (118), Gerontius (119), Γρηγόριος ὁ θεόλογος (120—125), Γρηγόριος ὁ Νυσσεύς (126—136); Demades (137), Demetrius Phalereus (138), Democritus (139—173), Demosthenes (174—196), Demonax (197—208), Diagoras (209. 210), Didymus (211), Diogenes (212—241), Διονύσιος ὁ πρεσβύτερος (242), Dion (243—255); Empedocles (256. 257), Epicurus (258—260), Epictetus (261—267), Euclides (268), Eucritus (269), Eupolis (270), Euripides (271. 272), Eusebius (273). Dein post lacunam, qua litterae Z et H haustae sunt, superest particula litterarum Θ et I, sed ea ipsa truncata; habet enim solum haec nomina: Thales (274), Theano (275), Themistocles (276. 277), Theocritus (278—280), Theopemptus (281. 282), Theophylactus (283. 284), Thucydides (285), Theophrastus (286), Isocrates (287—291), Ἰωάννης ὁ Κλίμαξ (292). Reliqua omnia desunt: nam quae sequuntur apophthegmata quattuor virorum qui sunt Λύκων (293), Μενέδημος (294), Σολομών (295), Χρυσόστομος (296. 297), ea statim conicias ex suo ordine huc translata esse casu quodam, qui qualis fuerit ex codice Vossiano patet, de quo dicturus sum.

11) 'Gnomica Vossiana' inedita codicis Vossiani 68 saec. XVI, quem ipse nuper excussi, inscripta: γνῶμαι τινῶν διαφόρων ἐλλογίμων

[1]) Numeros ordinales Frobenius non appinxit.

ἀνδρῶν. Collectio, quae 255 apophthegmata et sententias continet, est eadem atque Basileensis, sed non ex eodem codice descripta. Desiderantur enim hic aliquot Frobenii sententiae, interdum etiam hic leguntur quae frustra illic quaeras (velut fol. 8^rect. Alexandreum, f. 30^vers. et 31^r duo Diogenea, f. 36^v Demosthenicum); accedit quod Bianteum Frobenii n. 98 in Vossiano f. 20^v Basilio adscribitur, eidem f. 23^r quae Blasii perhibetur sententia apud Frobenium n. 112. Unum tamen discrimen, quo inter se differunt, culpa editoris constitutum videtur: nam apud Frobenium et omnia eiusdem nominis exempla continuo leguntur et nominum ordo alphabeticus plenus est et absolutus, in Vossiano primae solum litterae in ordinandis nominibus ratio habetur et eadem nomina intra litterae suae terminos saepius recurrunt, — quod sane ad investigandos fontes gravissimo indicio est — (velut Democriti sententiae novem locis, Diogenis decem, Demosthenis octo proferuntur), ita tamen recurrunt, ut si omnia unius viri exempla quae deinceps scripta sunt consociaveris, ea procedant secundum eundem ordinem, quem tenent apud Frobenium. Item ad editorem probabiliter revocandum est, quod exempla omnia, quae contra alphabeticam normam in Vossiano interposita sunt, suo loco apparent: nam ibi legimus post Antisthenis sententiam (Froben. n. 29) duas Chrysostomi (Froben. n. 296. 297), post Alexandri apophthegma (Froben. n. 16) tria 'Dionis philosophi' (Froben. n. 243. 254. 255), denique post Gelasii dictum (Fr. 114) Lyconis (Fr. 293). Vides igitur duos illorum quattuor virorum qui ultimi positi sunt a Frobenio, in priorum litterarum contextum delatos esse etiam in Vossiano; accedit tertius Μενέδημος (Fr. 294), cuius sententia hic legitur inter Biantea post Frobenianum 93; quartus (Σολομών) deest in Vossiano.

15) Georgidae gnomologium e codice Parisino 1166 descriptum apud Boissonadium, Anecd. Graec. I p. 1—108; multo locupletius legitur in codice Laurentiano VII 15, cuius collationem ab Erwino Rohde liberaliter suppeditatam aliquotiens adhibui.

16) Γνωμικά τινα Boissonadii Anecd. Gr. III p. 465 sqq. Ea collectio omnis dividitur in partes tres, prima (p. 465, 1 — 466, 27) Christiana est, tertia p. 474, 4—18 mantissam quandam addit, media inde a p. 467, 1 usque ad p. 474, 3 continuata ut amplissima ita longe utilissima est. Compilata ibi est gnomologia ex litterarum ordine digesta, cuius indole sive non perspecta sive non spectata compilator inter-

dum verba quibus sententiae incohantur mutavit, ut iam series alphabetica pessumdata sit, velut p. 470, 5 pervertit traditum principium ζῇ ὡς quod etiam Demophilus sent. 16 habet, ibid. 13 θεός in Monacensi quoque florilegio n. 7 exhibitum; item debuit p. 468, 10 initio scribi Ἀλέξανδρος, ibid. 17 ἄνδρα, p. 469, 18 ἐπικαλουμένου, p. 470, 1 ἐρωτηθείς et quae sunt similia. Pauca quaedam etiam aliunde illata sunt additamenta, velut p. 468, 1 et 18; p. 470, 14 — 471, 4; p. 472, 10.

17) Sylloge Boissonadi An. Gr. I p. 113—119, cui ipse inscripsit γνῶμαι διάφοροι.

18) Γνῶμαι σοφῶν Boissonadi An. Gr. I p. 127—134.

Denique commemoro gnomologium quod nunc promo item inscriptum iterari in codice Laurentiano LVIII 4 (cf. Bandini, catal. bibl. Laur. Gr. II p. 442) et in Vindobonensi medic. Nessel. XXIX (cf. Nessel, bibl. Caesar. part. III p. 41).

Γνῶμαι κατ' ἐκλογὴν ἔκ τε τοῦ Δημοκρίτου καὶ Ἐπικτήτου καὶ ἑτέρων σοφῶν

1 Ἀνανεούσθω σοι ὁ περὶ θεοῦ λόγος καθ' ἡμέραν μᾶλλον ἢ τὰ σιτία.
= Flor. Mon. 1, Leid. 1; Maxim. 52 p. 654, 43. 44 Comb. (ἐκ τῶν Ἐπικτήτου); Gnomica Boisson. An. Gr. III p. 467, 1.

2 Συνεχέστερον νόει τὸν θεὸν ἢ ἀνάπνει.
= Flor. Mon. 2, Leid. 2; Maxim. 52 p. 654, 45 (ἐκ τῶν Ἐπικτήτου); Georgid. p. 78, 14.

3 Θεὸς οὐ ληπτός· εἰ δὲ ληπτός, οὐ θεός.
= Flor. Mon. 3, Leid. 3.

4 Οὔτ' ἐξ ἱεροῦ θυσίαν οὔτ' ἐξ ἀνθρωπίνης ψυχῆς αναιρετέον θεόν.
Similiter conceptum Phocionis dictum est apud Stobaeum flor. I 31.

ADNOTATIO CRITICA

Inscriptio ἔκ τε τοῦ] ἐκ τῶν cod. Vindobon. ‖ σοφῶν] πολλῶν cod. Laurent.

1 ἀνανεούσθω] ἀρχέσθω Mon. ‖ σοι om. Mon. Leid. Max. ‖ παρὰ τοῦ θεοῦ Mon. ‖ θεοῦ] τῶν ἀγαθῶν Gnom. Boiss. ‖ καθ' ἡμέραν om. Mon. ‖ τὰ σιτία] τὸ σῶμα τοῖς σιτίοις Gnom. Boiss.

2 ἀνάπνεε Pal.

5 Ἄξιος ἄνθρωπος θεοῦ θεὸς ἂν εἴη ἐν ἀνθρώποις.

= Porphyr. ad Marcell. 16 p. 202, 12 Nauck., Sextus in Rufini lat. interpr. n. 360.

6 Γνῶσις θεοῦ ποιεῖ ἄνδρα βραχυλόγον.

= Porphyr. ad Marcellam 20 p. 204, 21. 22 Nauck.

7 Βούλει γνωσθῆναι παρὰ θεοῦ· ἀγνοήθητι μάλιστα παρὰ ἀνθρώποις.

= Flor. Mon. 4, Leid. 4; Georgid. cod. Laurent. fol. 51[rect.]; Gnomica Boisson. An. Gr. III p. 469, 2.

8 Εἴ τις τιμᾷ τὸν θεὸν ὡς προςδεόμενον, οὗτος λέληθεν ἑαυτὸν δοξάζων τοῦ θεοῦ εἶναι κρείττων.

= Porphyr. ad Marcell. 18 p. 203, 17—20 Nauck.; Hierocles comm. in aur. carm. Pyth. I 1 p. 24, 13—15 Gaisf. (ὥς φασιν οἱ Πυθαγόρειοι).

9 Ἐὰν ἀεὶ μνημονεύῃς, ὅτι ᾧ ἐργάζῃ κατὰ ψυχὴν ἢ σῶμα θεὸς παρέστηκεν ἔφορος, ἐν πάσαις σου ταῖς πράξεσιν οὐ μὴ ἁμάρτῃς, ἕξεις δὲ τὸν θεὸν σύνοικον.

= Flor. Mon. 5, Leid. 5; Porphyr. ad Marc. 20 p. 204, 12—16 Nauck.; Demophil. sent. 13 p. 38 Orell.; Anton. 1 54 p. 61, 2—3 (Ἐπικτήτου), Maxim. 52 p. 654, 46 — 655, 3 Comb. (ἐκ τῶν Ἐπικτήτου).

10 Θεῷ ὅμοιον ἔχει ἄνθρωπος τὸ εὖ ποιεῖν ὅταν τὸ εὖ ποιεῖν μὴ καπηλεύηται.

= Flor. Mon. 6, Leid. 6; Maxim. 8 p. 195, 30. 31 Rib. (pars prior: Δημοκρίτου); Georgid. p. 46, 8. 9 Boisson., cod. Paris. Reg. 1168 p. 94, 2 (apud Boisson. An. Gr. I p. 451 add. ad p. 46, n. 1; pars prior: inter Democritea); Arsen. p. 193, 18 Walz (pars prior: praemisso ὁ αὐτὸς [i. e. Δημόκριτος] ἔφη); vide infra n. 77.

ADNOTATIO CRITICA

5 ἐν ἀνθρώποις] om. Porph., *et in hominibus* Ruf.

6 θεοῦ γνῶσις ποιεῖ βραχὺν λόγον Porphyr.

7 εἰ θέλεις Georg. ‖ παρὰ] περὶ rec. m. corr. in παρὰ Pal. ‖ θεῷ Leid. ‖ μάλιστα om. Georg. ‖ παρὰ] περὶ Pal.

8 ὅστις Porph. Hier. ‖ λέληθε σαυτὸν Pal. ‖ ἑαυτὸν δοξάζων] οἰόμενος ἑαυτὸν Hier. ‖ εἶναι κρείττονα Hier., εἶναι κρειττότερον Pal., κρείττονα εἶναι Porph.

9 ἀεὶ om. Pal. ‖ μνημονεύσῃς Mon. Leid. ‖ ὅτι ὅπου ἂν ἡ ψυχή σου περιπατῇ (π. om. Demoph.) καὶ τὸ σῶμα ἐνεργὸν ἀποτελῇ Demoph. Porph. ‖ ὅτι ᾧ] ὃ Pal., ὅτι τῷ Mon., ὅτι ὃ ἂν coni. Walz ‖ ἐφέστηκεν Demoph., παρέστη μὲν Porph., παρέστηκ' Leid. ‖ εὔφορος Leid. ‖ σου ταῖς om. Mon. Leid. ‖ ante πράξεσιν add. Ant. Max. προςευχαῖς καὶ ταῖς, Porph. βουλαῖς καὶ ταῖς ‖ οὐ μὴ ἁμάρτῃς] αἰσθήσῃ μὲν τοῦ θεωροῦ τὸ ἄληστον Dem. Porph. ‖ οὐ μὴ] οὐχ Mon.

10 ὁ ἄνθρωπος Max. ‖ ὅταν τὸ εὖ ποιεῖν] om. cod. Par., ὅταν αὐτὸ Georg.

11 Θεὸς δεῖται οὐδενός· σοφὸς δὲ δεῖται μόνου θεοῦ.

= Flor. Mon. 7, Leid. 7; Porphyr. ad Marc. 11 p. 200, 3. 4; Georg. p 45, 15 (Ἱπποκράτους); Γνῶμαι σοφῶν Boiss. An. Gr. I p. 127, 5; Γνωμικά Boiss. An. Gr. III p. 470, 13; Sextus n. 43 Rufin.

12 Θεοῦ ἄξιόν σε ποιήσει τὸ μηδὲν ἀνάξιον αὐτοῦ πράττειν.

= Flor. Mon. 8, Leid. 8; Porphyr. ad Marc. 15 p. 202, 10. 11; Maxim. 1 p. 181, 13 Rib. (Δημοκρίτου), flor. Lips. I 54 (Δημοκρίτου); Gnomic. Basil. p. 163 n. 139 (Δημόκριτος ἔφη), Gnomic. Voss. n. 68 fol. 31ᵛ n. 143 (Δημόκριτος εἶπε); Georg. p. 43, 1 (Σέκστου), Sextus n. 4 Rufin.

13 Τοῦ περὶ θεοῦ λόγου προηγείσθω τὰ θεοφιλῆ ἔργα.

= Porphyr. ad Marc. 15 p. 202, 6. 7.

14 Χρὴ καὶ λέγειν καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν περὶ θεοῦ λόγων ὡς ἐπὶ θεοῦ.

= Porphyr. ad Marc. 15 p. 202, 5. 6.

15 Τιμήσεις τὸν θεὸν ἄριστα, ὅταν τῷ θεῷ τὴν διάνοιαν ὁμοιώσῃς δι' ἀρετῆς· μόνη γὰρ ἀρετὴ ἕλκει τὴν ψυχὴν πρὸς τὸ συγγενές.

= Flor. Mon. 14, Leid. 17; Anton. I 7 p. 10, 41 Gesn.; Porphyr. ad Marc. 16 p. 202, 12; Hierocl. comm. in Pythag. carm. aur. I 1 p. 24, 12 (ὥς φασιν οἱ Πυθαγόρειοι); cf. etiam Sextum n. 365 Rufin.

16 Οἱ ἄνθρωποι τότε γίνονται βελτίους, ὅταν θεῷ προσέρχωνται, ὅμοιον δὲ ἔχουσι θεῷ τὸ εὐεργετεῖν καὶ ἀληθεύειν.

= Flor. Mon. 15, Leid. 18; Anton. I 46 p. 53, 30 (Ἰσοκράτους), Maxim. 14 p. 578, 8—11 Comb. (Ἰσοκράτους); cf. simile apophthegma Pythagoraeorum apud Photium bibl. p. 439ᵃ 8—14 et Suidam v. ἄνθρωπος αὐτός. — P r i o r p a r s usque ad προσέρχωνται: cf. Pythagorae apophthegma apud Plutarch. de superst. p. 102, de def. orac. p. 183; p o s t e r i o r p a r s = flor. Palat. 77 (ubi vide reliqua testimonia de Pythagora).

ADNOTATIO CRITICA

11 ὁ μὲν θεὸς Boiss. I 127, κύριος Boiss. III 470 ‖ δεῖται] δέεται μὲν Georg., μὲν δεῖται Porph.; *quidem* add. Rufin. ‖ σοφὸς] *fidelis* Rufin. ‖ δεῖται post δὲ om. Porph. Rufin. ‖ μόνου δεῖται Boiss. III.

12 ἀξίαν σε ποιήσει θεοῦ Porph. ‖ θεὸς Leid. Pal. ‖ ἐποίησε τοῦ Pal. ‖ αὐτοῦ] θεοῦ μήτε λέγειν μήτε Porph., ἑαυτοῦ Mon. Lips.

13 προηγείσθω] ἡγείσθω Pal., ante τοῦ transponit Porph.

14 ἀκροᾶσθαι καὶ λέγειν (προσήκει) Porph. ‖ τὸν et λόγον Porph.

15 τιμήσεις μὲν Porph. ‖ δι' ἀρετῆς] ἡ δὲ ὁμοίωσις ἔσται διὰ μόνης ἀρετῆς Porph. ‖ μόνη] ἡ Mon. ‖ ἕλκει post ψυχὴν pon. Anton. et Leid., post συγγενὲς Mon. ‖ τὴν ψυχὴν ἄνω ἕλκει καὶ πρὸς Porph.

16 βέλτιοι Pal. ‖ τῷ θεῷ Mon. Leid. ‖ ἔχουσι] δείκνυσι Mon. ‖ τῷ θεῷ Mon. Leid.

17 Σοφὸς ἄνθρωπος θεὸν σεβόμενος γινώσκεται ὑπὸ τοῦ θεοῦ· διὸ οὐκ ἀποστρέφεται κἂν ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων ἀγνοῆται.

= Flor. Mon. 16, Leid. 19. Cf. Porphyr. ad Marc. 13 p. 201, 7—9.

18 Τὰς μὲν πόλεις ἀναθήμασι τὰς δὲ ψυχὰς μαθήμασι δεῖ κατακοσμεῖν.

= Flor. Mon. 17, Leid. 20; Stobaeus eclog. II 31 in floril. Laur. II 13 p. 196, 13 Meinek. (Δημώνακτος, Ὑψαίου καὶ Σωκράτους); Anton. I 50 p. 56, 23 Gesn. (Δημοκρίτου), Maximus 17 p. 585, 5. 9 (Δημοκρίτου).

19 Οὔτε ἵππος εὐγενὴς κρίνοιτο ἂν πολυτέλειαν ἠμφιεσμένος ἀλλ' ὁ τῇ φύσει λαμπρός, οὔτε ἀνὴρ πολυτίμητον οὐσίαν κεκτημένος ἀλλ' ὁ τὴν ψυχὴν γενναῖος.

= Flor. Mon. 18, Leid. 21; Stobaeus flor. I 37 (Σωκράτους).

20 Ἐν μὲν τοῖς ἐσόπτροις ὁ τῆς ὄψεως, ἐν δὲ ταῖς ὁμιλίαις ὁ τῆς ψυχῆς χαρακτὴρ βλέπεται.

= Flor. Mon. 19, Leid. 22; Anton. I 48 p. 54, 37 (Δημοκρίτου), Maxim. 15 p. 208, 37 Rib. ('*Demosthenis, alias Democriti*'; Δημοκρίτου Laur., Δημοσθένους Neap.; in Combefisiana deest); Gnomic. Basil. p. 165 n. 163 (ὁ αὐτὸς [i. e. Δημόκριτος] εἶπεν), Gnomic. Voss. 68 fol. 40ᵛ n. 192 (item).

21 Ἰσχύειν τῇ ψυχῇ αἱροῦ μᾶλλον ἢ τῷ σώματι.

= Flor. Mon. 20, Leid. 23; Stob. flor. I 22 (Πυθαγόρου); Pythagorae dicta Syriac. n. 38 (cf. Hermae vol. IV p. 91); Γνῶμαι σοφῶν Boisson. I p. 132, 14.

22 Τεθνάναι πολὺ κρεῖττον ἢ δι' ἀκρασίαν τὴν ψυχὴν ἀμαυρῶσαι.

= Flor. Mon. 21, Leid. 24; Stob. flor. XVII 27 (Πυθαγόρου); Porphyr. ad Marc. 35 p. 211, 22. 23; Anton. I 39 p. 49, 16; Anton. I 58 p. 64, 5 (Κλειτάρχου), Maxim. 36 p. 627, 4. 5 (Κλειτάρχου, add. Πλουτάρχου Laur.) [utroque loco antecedit sententia Socratis vel Isocratis]; Γνῶμαι Boisson. I p. 133, 14; Sext. 333 Rufin.; Demophil. sent. Pythag. 39 pars posterior.

ADNOTATIO CRITICA

17 τοῦ om. Leid. ‖ ἐπιστρέφεται Mon. Leid. ‖ ἀνθρώπων om. Mon. Leid.

18 κοσμεῖν δεῖ Stob. ‖ κοσμεῖν Mon. Leid. Ant. Max.

19 πολυτελείας ἠμφιεσμένος Pal., ὁ πολυτελῆ σκευὴν ἔχων Stob. ‖ φύσει] ψυχῇ Mon. ‖ ἀνὴρ σπουδαῖος Stob. ‖ πολυτίμητον οὐσίαν] ὁ πολύτιμον οὐσίαν Stob., πολυτίμητα Mon. Leid. ‖ τῇ ψυχῇ Pal.

20 βλέπεται] φαίνεται Leid., ἀμβλύνεται Pal.

21 ἰσχὺν Stobaei vulgata ‖ ἤπερ Pal. ‖ αἱροῦ ante τῇ ψυχῇ et ἰσχύειν post τῷ σώματι transpon. Boissonadi Γνῶμαι ‖ τῶν σωμάτων Mon.

22 τεθνάναι — κρεῖττον] κρεῖττον ἀποθανεῖν Ant. p. 64, Maxim. ‖ τεθνάναι post κρεῖττον transp. Porph. ‖ πολὺ] πολλῷ Stob. Demoph. Porph. ‖ ἀκρασίας Pal. Mon. Ant. (bis), Max., ἀκρασίας σώματος Demoph., γαστρὸς ἀκρασίαν Boiss. (Sext.).

2

23 Ὑπεράνω τῆς σαρκὸς μὴ γενόμενος τὴν ψυχὴν θάπτεις ἐν σαρκί.
= Flor. Mon. 22, Leid. 25; Georgid. p. 93, 18 part. prior. (Δημοκρίτου); Pythag. Syr. n. 85 (Herm. IV p. 96).

24 Ψυχὴ ταμεῖον ἀγαθοῦ μὲν ἀγαθῶν, κακοῦ δὲ κακῶν.
= Georgid. p. 100, 16 Boiss. (Σέκστου), Demophil. sent. Pyth. 4 ult. part.

25 Ἀνθρώποις ἁρμόδιον ψυχῆς μᾶλλον ἢ σώματος λόγον ποιεῖσθαι.
= Flor. Mon. 23, Leid. 26; Stob. flor. I 39 (pars prior; Δημοκρίτου); Anton. I 55 p. 61, 41 (Δημοκρίτου), Maxim. 53 p. 656, 24. 25 (pars prior; Δημοκρίτου).

26 Ὁ τὰ τῆς ψυχῆς ἀγαθὰ αἱρούμενος τὰ θειότερα αἱρεῖται, ὁ δὲ τὰ τοῦ σκήνους τὰ ἀνθρώπινα.
= Democrat. 3.

27 Παῖδας μὲν ὄντας ἡμᾶς οἱ γονεῖς παιδαγωγῷ παρέδωκαν ἐπιβλέποντι πάντων πρὸς τὸ μὴ βλάπτεσθαι. ἄνδρας δὲ γενομένους ὁ θεὸς παραδίδωσι τῇ ἐμφύτῳ συνειδήσει φυλάττειν· ταύτης οὖν τῆς φυλακῆς μηδαμοῦ καταφρονητέον.
= Anton. II 82 p. 146, 16 (plenior; Ἐπικτήτου); Gnomic. Basil. p. 166 n. 172 et Gnomic. Voss. 68 f. 45r n. 217 (plenior praemisso Δημόκριτος εἶπεν).

28 Ἐπικείσεται ἡμῖν ἡ συνείδησις προφέρουσα τὰς ἁμαρτίας καὶ ὀνειδίζουσα κἂν τοῖς πλησίον ἡμῶν μὴ ὦσι φανεραί.

[29 Βίας ἐρωτηθεὶς τί ἂν εἴη ἄφοβον ἐν τῷ βίῳ εἶπεν· ὀρθὴ συνείδησις.]
= Flor. Mon. 25 (cf. 170), Leid. 28; Anton. I 66 p. 68, 12; Stob. flor. XXIV 11.

30 Τῆς ἀγνοουμένης ἀρετῆς ὥσπερ κατορωρυγμένου χρυσίου ἡ λαμπρότης οὐ βλέπεται.
= Flor. Mon. 26; Maxim. I p. 164, 11 Gesn. 180, 29 Rib. (Πλουτάρχου).

ADNOTATIO CRITICA

23 σαρκί] τῇ σαρκὶ Mon. Leid., σώματι Georg.

24 ἐστι ταμιεῖον Demoph., ταμεῖόν ἐστιν Georg. ‖ ἀγαθὴ μὲν ἀγαθοῦ Demoph. ‖ ἀγαθῶν] ἀγαθή Georg. ‖ κακὴ δὲ κακοῦ Demoph. ‖ κακῶν] κακή Georg.

25 ποιεῖσθαι λόγον Stob.

26 τὰ ψυχῆς ἀγαθὰ ἐρεώμενος Dem. ‖ ἐρέεται· ὁ δὲ τὰ σκήνεος τὰ ἀνθρωπήια Dem.

27 παρέδοσαν Bas. Voss., παρεδόθησαν Ant. ‖ πάντων] πανταχοῦ Ant. Voss., πανταχῇ Bas. ‖ post καταφρονητέον add. Ant. Bas. Voss.: ἐπεὶ καὶ τῷ θεῷ ἀπάρεστοι (ἀπάρεστον Ant., πάρεστον Voss.) καὶ τῷ ἰδίῳ συνειδότι ὑπεύθυνοι καθιστάμεθα (ἔχθρας ἐσόμεθα Ant.).

29 εἴη ἂν Mon., εἴη τε Leid. ‖ κατὰ τὸν (τὸν om. A. B.) βίον ἄφοβον Stob. ‖ εἶπε συνείδησις Pal. Mon. Leid., εἶπεν ἡ ἀγαθὴ coni. Meineke.

30 ὥσπερ] ὡς τοῦ Mon., ὥσπερ τοῦ Max. ‖ φαίνεται Mon.

31 Οὔτε συμπόσιον ἄνευ ὁμονοίας οὔτε πλοῦτος χωρὶς ἀρετῆς ἡδονὴν ἔχει.

= Anton. I 7 p. 10, 38 Gesn. (ex collect. Dem.-Epict.), Maxim. 12 p. 568, 47 — 569, 1 Comb. (ex coll. Dem.-Epict.); Stob. flor. I 30 (Ἀντισθένους); Georgid. p. 71, 7.

32 Ἰσχὺς καὶ τεῖχος καὶ ὅπλον σοφοῦ ἡ φρόνησις.

= Stob. flor. III 24 (Πυθαγόρου); Pythag. Syr. n. 39 (Herm. IV p. 91).

33 Πᾶς ἄνθρωπος τόσου ἄξιος, ὅσου ἀξίαν γινώσκει σοφίαν.

= Flor. Mon. 27, Leid. 29.

34 Σοφίαν ὁ ἀσκῶν ἐπιστήμην τὴν περὶ τοῦ θεοῦ ἀσκεῖ.

= Maxim. 17 p. 586, 27. 28 (ἐκ τῶν Δημοκράτ. Ἰσοκράτ. καὶ Ἐπικτήτου); Porphyr. ad Marc. 17 p. 202, 30. 31; Pythag. Syr. n. 72 (Herm. IV p. 95).

35 Ὁ μὲν γεωργὸς τὴν γῆν καλλιεργεῖ, ὁ δὲ φιλόσοφος τὴν ψυχήν.

= Flor. Mon. 28, Leid. 30; Anton. I 50 p. 56, 39 (sine lemmate), Maxim. 17 p. 586, 23 (τοῦ αὐτοῦ in Combef., ubi praecedit Theocriti dictum, quod in Ribitt. Laur. Neap. item atque apud Anton. et in flor. Laur. hic deest, sed ante sententias ἐκ τῶν Δημοκράτ. Ἰσοκράτ. καὶ Ἐπικτήτου); flor. Laur. II 13 p. 227, 12 Mein. (sine lemmate).

36 Φρόνησις εὐτυχίαν ὡς τὰ πολλὰ χαρίζεται, τύχη δὲ φρόνησιν οὐ ποιεῖ.

= Flor. Mon. 29, Leid. 31; Stob. ecl. II 7, 19 (τοῦ αὐτοῦ i. e. Ἐπανδρίδου; Anton. I p. 11, 30 (Πλουτάρχου), Maxim. 2 cod. Neapol. (αὐτοῦ, i. e. Plutarchi), Georgid. cod. Laur. f. 59r.

37 Ἔστι που νέων σύνεσις καὶ γερόντων ἀσυνεσία· χρόνος γὰρ οὐ διδάσκει φρόνησιν ἀλλὰ φύσις καὶ ὀρθὴ δίαιτα.

= Stob. eclog. II 31 in flor. Laur. p. 199, 3 Mein. (Δημοκρίτου); flor. Laur. p. 149, 16 Mein.; Anton. II 18 p. 95, 32 (Φιλήμονος), Maxim. 41 p. 636, 6—8 Comb. (Φιλήμονος [quod spectat ad sent. p. 635, 46 — 636, 1] Comb., in Laur. Neap. Ribitt. sine lemmate), sed apud utrumque ante Democriteam.

ADNOTATIO CRITICA

31 ἄνευ] χωρὶς Stob. ‖ ὁμιλίας Stob. Max. ‖ δίχα Georg.

33 τόσον Pal. ‖ ὅσον ἄξια Pal. ‖ σοφίαν om. Pal. (cum ab hoc vocabulo incohetur proxima sententia).

34 ὁ σοφίαν Porph. ‖ ἀσκεῖ τὴν περὶ θεοῦ Porph.

35 τὴν om. Mon. ‖ καλλιεργεῖ om. Mon. Leid. Ant. Max. Laur. ‖ φιλοσοφῶν Mon. Leid. ‖ ἐξημεροῖ Mon. Leid. Ant. Max. Laur.

36 εὐτυχίην Stob. ‖ ὡς τὰ πολλὰ anteponit verbo εὐτυχίαν Georg.

37 που νέων] που νέου Stob., κου νέων coni. Meineke ‖ σύνεσις transponit flor. Laur. p. 149 et Ant. Max., ξύνεσις habet Stob. ‖ ἀξυνεσίη Stob. ‖ φρόνησιν] φρονέειν Stob. ‖ φύσις] πίστις Pal., ὡραίη τροφὴ Stob. ‖ ὀρθὴ δίαιτα] φύσις Stob. ‖ ὀρθὴ ante καὶ transpon. Max.

38 Δόξα καὶ πλοῦτος ἄνευ συνέσεως οὐκ ἀσφαλῆ κτήματα.

= Stob. flor. IV 82 (Δημοκρίτου).

39 Ἡ παιδεία καθάπερ εὐδαίμων χώρα πάντα τὰ ἀγαθὰ φέρει.

= Stob. eclog. II 31 in flor. Laur. p. 203, 26 (τοῦ αὐτοῦ i. e. Σωκράτους).

40 Ἡ παιδεία ὥσπερ χρυσὸν ἐν παντὶ τόπῳ τιμία.

= Maxim. 17 p. 586, 25—26 (ἐκ τοῦ Δημοκράτους Ἰσοκράτους καὶ Ἐπικτήτου); Gnomic. Basil. p. 166 n. 168 (ὁ αὐτὸς [i. e. Δημόκριτος] ἔφη); Gnom. Voss. n. 68 fol. 41v (item).

41 Ἐν μὲν πολέμῳ πρὸς ἀσφάλειαν σίδηρος χρυσοῦ κρείττων, ἐν δὲ τῷ ζῆν λογισμὸς πλούτου.

= Flor. Mon. 30, Leid. 32; Stob. flor. LXXXI 12 (Σωκράτους); Maxim. 12 p. 568, 41 (Πλουτάρχου).

42 Ταῖς μὲν πόλεσι τὰ τείχη, ταῖς δὲ οὐσίαις ὁ ἐκ παιδείας νοῦς κόσμον καὶ ἀσφάλειαν παρέχεται.

= Anton. I 50 p. 56, 40 Gesn. (Δημοκρίτου); Stob. ecl. II 31 in flor. Laur. p. 200, 21 Meinek. (ἐκ τῶν Ἀριστωνύμου τομαρίων καὶ Σωκράτους); Maxim. 17 p. 586, 31 [Ἀριστοτ., num Ἀριστωνύμου?].

43 Ὁδοῦ καὶ παιδείας κακὸν ἀποπλανηθῆναι.

= Anton. I 21 p. 26, 37 (post Plutarcheam), Maxim. 35 p. 625, 22 (post eandem Plutarcheam, Χαρικλ., cum in Ribittiana Charicleae rectius proxima adscribitur); flor. Laur. p. 242, 1 Mein. (Πλουτάρχου).

44 Τοὺς υἱούς σου σπούδαζε πεπαιδευμένους ἤπερ πλουσίους καταλιπεῖν· κρείττονες γὰρ αἱ τῶν πεπαιδευμένων ἐλπίδες ἢ ὁ τῶν ἀμαθῶν πλοῦτος.

= Anton. II 9 p. 91, 6 (Ἐπικτήτου). Prior pars (usque ad καταλιπεῖν) = Maxim. 23 p. 604, 40 (ἐκ τοῦ Ἐπικτήτου ἐγχειριδίου καὶ Ἰσοκράτους); posterior pars = flor. Mon. 9, Leid. 9, exc. Vindob. 18, Georgid. p. 49, 8; Stob. ecl. II 31 in flor. Laur. p. 202, 11 (Δημοκρίτου).

ADNOTATIO CRITICA

38 ξυνέσιος Stob. ‖ ἀσφαλέα Stob.

40 τῆς παιδείας ὥσπερ χρυσοῦ τὸ καλὸν et τίμιον Max. Bas. Voss.

41 μὲν post πολέμῳ transponit Max., post μὲν add. τῷ Mon. Leid. ‖ σίδηρος χρυσοῦ] χρυσὸς Mon. ‖ ὁ λόγος τοῦ πλούτου Stob. Max.

42 οὐσίαις] ψυχαῖς Ant. Max. Laur. ‖ παρέχει Laur.

43 καὶ add. ante ὁδοῦ Laur. ‖ παιδείας] ἀληθείας Ant. Max. Laur. ‖ χαλεπὸν Ant. Max. Laur.

44 σου om. Max. ‖ ἤπερ] μᾶλλον ἢ Ant. Max. ‖ κρέσσονες Stob., κρείττους Ant. ‖ γὰρ] εἰσὶν Vind. Stob., γάρ εἰσιν Ant., om. Mon. Leid. ‖ αἱ τῶν] om. Pal. ‖ πεπαιδευμέναι Pal.

45 Ἡ παιδεία εὐτυχοῦσι μέν ἐστι κόσμος, ἀτυχοῦσι δὲ καταφύγιον.
= Flor. Mon. 31, Leid. 33; Stobaeus ecl. II 31 in flor. Laur. p. 197, 6 (τοῦ αὐτοῦ i. e. Δημοκρίτου); Anton. I 50, p. 56, 22 (Δημοκρίτου), Maxim. 17 p. 585, 6 (Δημοκρίτου); Gnomic. Basil. p. 166 n. 167 (praemisso ὁ αὐτὸς [i. e. Δημόκριτος] ἔφη), Gnomic. Voss. fol. 41ᵛ n. 198 (item); Georgid. p. 40, 1 (ad quem locum Boissonadius in add. p. 450 adnotat, eandem sententiam in codice Regio 1168 p. 94, 2 Democrito, in codice Coisliniano 249 p. 1 Democrati tribui).

46 Οἱ πεπαιδευμένοι τόσον διαφέρουσι τῶν ἀπαιδεύτων ὅσον ὁ θεὸς τῶν ἀνθρώπων.
= Anton. I 50 p. 57, 4 (in fine capitis); exc. Vindob. 19.

47 Οἱ πεπαιδευμένοι καθάπερ οἱ ἐκ παλαίστρας κἂν πέσωσι ταχέως καὶ ἐπιδεξίως ἐκ τῆς ἀτυχίας ἐξανίστανται.
= Anton. I 70 p. 70, 46, Maxim. 18 p. 590, 37 (ἐκ τῶν Ἐπικτήτου καὶ Ἰσοκράτους).

48 Χρὴ τὴν μὲν εὐσέβειαν φανερῶς ἐνδείκνυσθαι, τῆς δὲ ἀληθείας θαρρούντως προίστασθαι.
= Flor. Mon. 32, Leid. 34; Anton. I 21 p. 26, 42 (Δημοκρίτου).

49 Μηδὲν τῆς ἀληθείας τιμιώτερον οἴου· μηδὲ φιλίας ἐκλογὴν ἐκτὸς παθῶν διακειμένην οἷς τὸ δίκαιον συγχέεται καὶ σκοτίζεται.
= Anton. I 21 p. 26, 43 (Ἐπικτήτου); Maxim. 16 p. 625, 30 (ἐκ τῶν Ἐπικτήτου, Ἰσοκράτους).

50 Τὸν νουθετοῦντα δεῖ πρῶτον τῆς τῶν νουθετουμένων αἰδοῦς τε καὶ φήμης ἐπιμελεῖσθαι· οἱ γὰρ ἀπερυθριάσαντες ἀδιόρθωτοι.
= Maxim. 16 p. 581, 33 (Ἐπικτήτου); Georgid. p. 85, 3.

51 Πλεῖστον διαφέρει τὸ νουθετεῖν τοῦ ὀνειδίζειν· τὸ μὲν γὰρ ἤπιόν τε καὶ φίλον, τὸ δὲ σκληρόν τε καὶ ὑβριστικόν· καὶ τὸ μὲν διορθοῖ τοὺς ἁμαρτάνοντας τὸ δὲ μόνον ἐξελέγχει.
= Flor. Mon. 33, Leid. 35; Maxim. 16 p. 581, 36 (Ἐπικτήτου).

ADNOTATIO CRITICA

45 ἐστι om. Mon. Leid. ‖ καταφόριον Mon.
46 ὁ om. Ant. Vind.
47 ἐν παλαίστραις Pal.
48 περὶ δὲ ἀλήθειαν θαρρούντως προίστησθαι Leid. ‖ πυρὶ [περὶ?] δὲ ἀληθείας Mon.
49 οἴου] ἔστω Ant. Max. ‖ μὴ φιλίαν Pal., ἡ δὲ φιλίας coni. Gesn. ‖ ἐκλογὴ et διακειμένη Ant. Max. ‖ ἐντὸς coni. Gesner ‖ ἧς Pal. ‖ καὶ ante συγχέεται add. Ant.
50 τὸν om. Pal. ‖ φήμης] αἰσχύνης Max.
51 πλεῖστον διαφέρει] κρεῖττον Max.

52 Κρεῖσσον ἰσχνὸν εἶναι μετὰ σωφροσύνης ἢ εὔσαρκον μετὰ ἀκολασίας.

= Flor. Mon. 34, Leid. 36; exc. Vindob. 4.

53 Πατρὸς σωφροσύνη μέγιστον τέκνοις παράγγελμα.

= Flor. Mon. 35, Leid. 37; Stob. flor. V 44 (Δημοκρίτου); Anton. I 14 p. 16, 21 (Δημοκρίτου), Maxim. 3 p. 185, 35 Rib. (post sent. Δημοκράτους; in flor. Lips. i. e. Maxim. III n. 44 Δημοκρίτου); Gnomic. Basil. p. 163 n. 144 (Democriti), Gnomic. Voss. fol. 33r n. 150 (item).

54 Νόμοι ἀληθέστατοι οἱ δικαιότατοι.

= Flor. Mon. 36, Leid. 38; Anton. I 67 p. 68, 37 (post Epictetea), Maxim. 58 p. 667, 31 (post Epictetea).

55 Νόμῳ καὶ ἄρχοντι καὶ τῷ σοφωτέρῳ εἴκειν κόσμιον.

= Flor. Mon. 37, Leid. 39; Stob. flor. V 23 (Δημοκρίτου); Anton. I 67 p. 68, 38, Maxim. 58 p. 667, 32 (post Epictetea); Maxim. 49 p. 650, 43 (Ἰσοκράτους); Democrat. n. 13 (p. 30 Orell.).

56 Οἱ νόμοι ταῖς ἀράχναις ἐοίκασι· καὶ γὰρ ἐκείναις ἐὰν ἐμπέσῃ κώνωψ ἢ μυῖα συνέχεται, εἰ δὲ σφὴξ ἢ μέλιττα διαρρήξασα ἀποτρέχει, οὕτω καὶ εἰς τοὺς νόμους ἐὰν μὲν πένης ἢ εὐτελὴς συνέχεται, εἰ δὲ πλούσιος ἢ δυνατὸς διαρρήξας ἀποτρέχει.

= Exc. Vindob. 3; Stob. flor. XLV 25 (Ζαλεύκου); Γνωμικά Boisson. An. Gr. III p. 473, 5. Cf. Anacharsidis sive Solonis apophthegma ap. Plutarch. Solon. 5 et Laert. Diog. I 58.

57 Ἄριστος κριτὴς ὑπονοείσθω ὁ ταχέως μὲν συνιείς, βραδέως δὲ κρίνων.

= Flor. Mon. 38, Leid. 40; Anton. II 7 p. 88, 47 Gesn. (Δημοκρίτου).

58 Νόμος βούλεται μὲν εὐεργετεῖν βίον ἀνθρώπων, δύναται δὲ ὅταν αὐτοὶ βούλωνται πάσχειν εὖ· τοῖς γὰρ πειθομένοις ἐνδείκνυται τὴν ἰδίαν ἀρετήν.

[1] Contra ibi etiamtum Α est; nam unum formae Α exemplum vs. 32 ad errorem typographicum revocare non dubito. Ceterum nolui in hac re provocare ad titulos eiusdem saeculi C. I. G. 3595. 3596, ubi Σ et Θ, in priore adeo Θ exhibet Boeckhius. Nam in scripturae genere repraesentando fere omnia antiquioris aetatis exemplaria, etiam quae ab hominibus in aliis rebus minime neglegentibus confecta sunt, parum fidei habere constat. In universum autem recte L. Rossius *Arch. Aufs.* II p. 589 monet, recentioribus litterarum formis, inprimis Σ, aliquanto prius uti coepisse Graecos Asianos quam Athenienses.

[2] Cf. locos a Boeckhio ad C. I. G. 3610 et Marquardtio *Röm. Staatsverwaltung* I p. 189 not. 11 allatos. Apud Strabonem (XIII p. 595 Cas.) verbum συνεφύλαξε indicare videtur iam ante Caesarem dictatorem eam civitatem liberam et immunem fuisse.

sumamus quam Schliemannus voluit; nempe ante Romanorum dominationem urbs Seleucidárum et Attalorum regio imperio subdita erat, ita ut libertas omnino nulla esset. Denique ne id quidem silentio praetermittendum est, memorabilem tituli simplicitatem, quae vel inculti atque horridi aliquid habet propter repetitum in eodem enuntiato participium γενομένῳ, tantopere abhorrere ab recentiorum plebiscitorum inani verbositate, ut ipsa quoque remotioris antiquitatis indicium contineat.

Quae cum ita sint, licebit nobis Menelaum inter Philippi et Demosthenis aequales quaerere. Sed de eo inveniendo utique desperandum esset, nisi additum esset paternum nomen, tam rarum illud quidem quam filii frequens est atque volgare. Neque enim hucusque nomen Ἀρραβαῖος inventum est nisi in duobus titulis C. I. Att. I 42. 43 et apud quattuor scriptores, Thucydidem (IV, 79, 2. 83. 124—129 [1]), Aristotelem (Polit. VIII [V], 10, 1311^b 12), Strabonem (VII, 7, 7 p. 326 Cas.), Arrianum (Exp. Alex. I, 12, 7. 14, 1. 20, 10. 25, 1. 28, 4. VII, 15, 1). Quae testimonia omnia ad duos homines pertinent, Arrhabaeum Bromeri f., qui Lyncestarum genti belli Peloponnesiaci aetate praefuit, et multo iuniorem Aëropi filium, Amyntae et Neoptolemi patrem, cuius apud Arrianum solum mentio fit. Hunc illius nepotem fuisse statuit Droysenus, qui in tabula genealogica (*Geschichte des Hellenismus* II, 1 fin.) Aëropum illum, qui anno 394 a. Chr. decessit cum per paucos annos apud Macedones regnasset, Arrhabaei maioris filium, minoris patrem fuisse indicat. Quod ut in medio relinquendum est — nam vel id mera coniectura nititur, Aëropum Macedoniae regem natione Lyncestam fuisse —, ita iuniorem quoque Arrhabaeum Lyncesta-

---

[1]) Hic quidem Ἀρριβαῖος scriptum est omnibus locis atque in omnibus, quantum scio, libris manuscriptis. Sed qui reputaverit, quam exigua sit fides codicum Thucydideorum in nominum propriorum formis (cf. B. Niese Hermae XIV p. 423 sqq.) non dubitabit mecum ex omnium reliquorum testium consensu Ἀρραβαῖος reponere, praesertim cum librarium codicis archetypi in errorem inductum esse appareat nominis item Macedonici Ἀρριδαῖος similitudine. Quae similitudo etiam nostra aetate fraudi fuit Ottoni Abelio (*Makedonien vor König Philipp* p. 196), qui male intellecto Aristotelis loco quem supra commemoravi, Arrhabaeum qui ibi nominatur, quem manifestum est Lyncestarum regulum esse, confudit cum Amyntae III patre, Philippi avo, atque ad frequentem apud Macedones consonarum δ et β permutationem provocavit, ut Ἀρρα(ι)βαῖος et Ἀρριδαῖος unum idemque nomen esse probaret. At cum omnino nusquam de eodem homine utraque nominis forma invenitur, tum Amyntae pater C. I. Att. II 15^b (Add. p. 397. 423) Ἀρριδαῖος, in titulo Macedonico quem TV edidisti Inscr. Macedonicae quattuor p. 15 Ἐρριδαῖος vocatur.

rum genti adscribendum esse ex Q. Curtii testimonio (VII, 1, 5, ubi de eius fratre Alexandro dicit) apparet. Nusquam terrarum igitur hoc nomen hucusque repertum est praeter Lyncestarum gentem, ita ut iure meritoque id miremur in cive Atheniensi. Neque vero licebit provocare ad morem nomina regum, barbarorum quoque, liberis imponendi, qui ut alibi in Graecia sic Athenis quoque fuerit. Verum quidem est, ex barbaris nominibus — praeter Romana quorum longe alia condicio est — Athenis talia multo frequentissima esse (Κῦρος C. I. Att. III 1138. 1177. 1197. 1202. Kumanudis Ἐπιγρ. ἐπιτύμβ. 1167[1]). Δαρεῖος C. I. Att. III 1128. 1129. Ῥωξάνη C. I. Att. III 906[a]. Kumanudis 177. Ἄρδυς C. I. Att. III 742. 1120. Κροῖσος Kum. 3078. 3079. Κότυς C. I. Att. III 1163. Kum. 2302. Σεύθης C. I. Att. III 1104 (?). Kum. 30. Ἰόβας C. I. Att. III 1197). At primum quidem haec exempla omnia inferioris aetatis sunt, pleraque ad imperatorum Romanorum tempora pertinent. Antiquiore aetate vero quae eius generis nomina inveniuntur in titulis Atticis, non civium sunt, sed peregrinorum[2]). Deinde autem suo iure K. Keilius (*Zur Sylloge Inscriptionum Boeoticarum.* Lipsiae 1863 p. 524) qui haud pauca eiusdem generis exempla ex aliis Graeciae civitatibus affert, ea nomina humiliorum potissimum esse iudicavit, qui regiorum nominum splendore ad quoddam solacium miseriarum suarum abuti vellent. Cui rei sane aptius erat Cyri aut Darei nomen quam Arrhabaei Lyncestae; neque Menelaum cui praeter alia beneficia libertatem conservatam se debere profitentur Ilienses, sordidae condicionis hominem fuisse consentaneum est. Quare alia barbari nominis in civis Attici patre causa circumspicienda est; neque ullam video, nisi ut aut ipsum Menelaum aut eius patrem, origine peregrinum, civitatem Atticam plebiscito nanctum esse statuamus. Sic enim nomina barbara iam antiquo tempore ad cives Atticos pervenisse cum ipsius rei natura pro-

---

[1]) Hoc nomen reliquis eiusdem generis paulo frequentius fuisse videtur; qua in re fortasse alicuius momenti fuit Cyropaediae Xenophonteae lectio et admiratio. Similiter medio aevo inter homines militaris nobilitatis frequentata sunt praenomina ex fabulis Romanensibus quae maxime hominibus in deliciis erant repetita (cf. Vilmar Hist. litt. Germ. p. 156).

[2]) Qui in titulo apud Boeckhium *Urk. über das Seewesen d. Ath.* p. 549 inter opifices recensetur Δαρεῖος ἐν Σκαμβωνιδῶν οἰκῶν, inquilinus est; idemque de Dareo argentario, cuius mentio fit in argumento Demosthenicae contra Dionysodorum (LVI) orationis, propter ipsum quaestus genus suspicari licet.

babile est, tum luculentissime confirmatur Olori Halimusii exemplo, Thucydidis rerum scriptoris patris, qui et genus et nomen ab Oloro Thracum regulo, Miltiadis socero, deducebat.

Iam cum omnia suadeant, ut Menelai originem ad Lyncestarum gentem referamus, non potest non in mentem venire eius Menelai, ex illis ipsis regionibus oriundi, qui propter res bene gestas in bello Chalcidico collaudatur plebiscito Attico, quod latum quidem est archonte Chariclide, sexta prytania (mense fere Ianuario anni 362 a. Chr.), exstat autem in tabula marmorea ante hos undeviginti annos Athenis eruta: edidit primus Pittakis Eph. arch. 4046, deinde post TVAS (Philol. XIX p. 247 [1]) et Boehneckii (*Demosthenes*, *Lykurgos*, *Hypereides und ihr Zeitalter*, Berolini 1864 p. 207 sqq.) curas U. Koehler C. I. Att. II 55. At, dixerit aliquis, in hoc decreto Athenienses non Lyncestam appellant Menelaum, sed Pelagona. Nonne constat has finitimas quidem, sed tamen diversas inter se gentes fuisse? Concedo; neque enim me fugit, haud paucos exstare veterum scriptorum locos, in quibus horum populorum memoria coniuncta sit ita, ut duos, non unum esse appareat. Quo ex numero sane eximendus est mea sententia Strabonis locus VII p. 327 Cas. Nam hic exemplaria quidem recentiora typis expressa haec habent: ὁ δὲ Ἐρίγων πολλὰ δεξάμενος ῥεύματα ἐκ τῶν Ἰλλυρικῶν ὀρῶν καὶ Λυγκηστῶν καὶ Βρύγων καὶ Δευριόπων καὶ Πελαγόνων εἰς τὸν Ἄξιον ἐκδίδωσιν. Sed Pelagonum nomen Coraïs coniecturae debetur; in libris est πλειόνων. Quod ut corruptum esse concedo, ita Coraïs lectione, etsi in ea Kramerus Meinekiusque acquieverunt, recte emendatum esse nego. Primum enim sic cum satis constet Erigona in Pelagonum finibus oriri atque inde demum in Lyncestida influere, naturalis rerum ordo pervertitur; deinde autem alia emendatio praesto est cum multo facilior tum rerum naturae accommodatior, in quam neminem dum, quantum scio, incidisse plane miror. Nempe scribendum est Παιόνων, quod una tenuissima lineola evanescente in ΠΛΙΟΝΩΝ abiit; atque inter ι et ει nullum in hac re discrimen intercedere non est quod dicam. Paeonum autem mentio hic recte se habet; eos utramque Axii ripam tenuisse cum ex nomine Ἀμφαξῖτις apud Strabonem VII fragm. 11 apparet tum ex Livii testimonio, qui XLV, 29, 7. 8 a Romanis anno 168

[1] cf. etiam A. Schaefer ibid. p. 578.

a. Chr. Paeoniam ita divisam refert, ut quae in orientali eius fluminis ripa essent, Macedoniae secundae, quae ad occidentem spectarent, tertiae attribuerentur. Ad meridiem vero Paeonum fines usque ad fauces illas per quas Axius fertur (hodie *Demirkapu* i. e. porta ferrea, cf. H. Barth *Reise durch das Innere der europäischen Türkei*, Berolini 1861. p. 126 sqq.) pertinebant (Strabo VII fr. 4). Quare Erigon, quippe qui in Axium influat longe supra has angustias[1]), in extrema cursus sui parte per Paeonum occidentalium agrum fertur. Quid quod expressis verbis Livius XXXIX, 53, 15 Erigona per Paeoniam in Axium influere testatur; quem neque latiore vi nomine Paeoniae uti, quae fuit Weissenbornii sententia, neque adeo Paeoniam cum Pelagonia confundere, quod ei crimini dat O. Abel *Makedonien vor Philipp* p. 34, ex eis quae hucusque disputata sunt apparebit. Sed Paeonum nomine pro Pelagonibus restituto nondum persanata indico verba scriptoris: etenim mirum est, optimum huius quidem partis[2]) codicem Mediceum plut. 28, 5 (B) et cum eo Venetum Marcianum n. 377 (l) non καὶ Λυγκηστῶν exhibere, sed καὶ ἀλυγκιστῶν. Nam ut ι pro η cum alias tum in hoc ipso nomine frequentissime exaraverunt librarii, sic α illud praemissum prorsus singulare est, ut aliud quid latere suspiceris. Accedit quod non satis recte dicitur Erigon ex montibus Illyricis et ex omnium gentium per quas feratur agris multos rivos recipere, immo hoc non quadrat nisi in mediam eius cursus partem, ubi per Lyncestidis planitiem fertur, meridiem versus ab urbe cui hodie *Bitolia* (*Monastir*) nomen est. Cuius regionis mirificam rivorum ex monte *Sukha-Gora* decurrentium multitudinem[3])

---

[1]) Nam Barthius, qui has regiones ipse vidit, fluvium quem septentrionem versus fluentem transierit inter oppidum *Kafadar* et vicum *Troyak*, ipsum Erigona esse testatur (p. 131 sq. 138); unde inspecta tabula eius II apparet, Erigonis et Axii confluentes — quem locum ipsum Barthius non adiit — aliquanto supra fauces Axianas esse. Quod monendum putavi, quia in tabula I inferiore, ubi totius itineris conspectus minore modulo descriptus proponitur, haec non recte delineata sunt. Contra in A. Petermanni mappa (Stieler *Handatlas* n. 56) Erigonis cursus plane talis repraesentatur, qualem Barthii verba indicant.

[2]) Nam in codice Parisino n. 1397 (A) multo antiquiore illo quidem et praestantiore, hic locus lacuna inde a p. 324 usque ad initium libri octavi pertinente haustus est.

[3]) Barth p. 150 »*Von nun an vergehen keine zehn Minuten langsamen Marsches, ohne dass ein grösseres oder geringeres Rinn- oder Stromsal aus einer engeren oder weiteren Schlucht dem Gebirge entströmt und den Weg kreuzt.*« Ceterum mons *Sukha-Gora* cum Illyriam a Lyncestide dirimat, recte ad montes Illyricos refertur a Strabone.

hoc loco innuere Strabo mihi videtur. Contra in inferioris cursus angustiis minime aquis affluentibus abundat amnis. Quare gentium nomina ab illis δεξάμενος ἐκ τῶν Ἰλλυρικῶν ὀρῶν separanda sunt et ad ipsius fluminis cursum describendum pertinent. Nimirum διὰ Λυγκηστῶν — καὶ Παιόνων εἰς τὸν Ἄξιον ἐκδίδωσιν scripserat Strabo. Praepositio cum facillimo errore in ΔΙΑ corrupta esset, alterum Α sequenti Lyncestarum nomini adhaesit, priori, ut certe sententia aliqua restitueretur, Κ praemissum est.

Sed ut tandem redeat eo unde deflexit disputatio, etsi de Strabonis loco aliter atque hucusque fiebat statuendum est, tamen non desunt testimonia quae Pelagoniam a Lynco sive Lyncestide distingui doceant (Scymn. perieg. v. 621 ἔθνος τὸ Λυγκηστῶν δὲ καὶ τῶν Πελαγόνων. Liv. XXVI, 25, 4 [*Philippus*] *per Pelagoniam et Lyncum et Bottiaeam in Thessaliam descendit*. XLV, 30, 6 *quartam regionem Eordaei et Lyncestae et Pelagones incolunt*. Strabo VII p. 326 Cas. Λύγκον [em. Casaubonus, libri Λυγκηστὸν aut Λυγκιστὸν] καὶ Πελαγονίαν καὶ Ὀρεστιάδα καὶ Ἐλίμειαν. Plin. Nat. hist. IV, 35. Ptolemaeus geogr. III, 13, 33. 34). Ac Lyncum quidem meridionalem campi qui ad Erigona adiacet partem esse ex viae Egnatiae descriptione (Strabo VII p. 323), Pelagoniam autem a septentrionibus Lynco finitimam ex eis quae de Philippi regis itinere apud Livium l. l. referuntur (cf. O. Abel p. 34 not. 2) apparet.

Sed probe tenendum est, haec omnia testimonia ad Romanorum aetatem spectare, neque omnino ante Polybium (V, 108, 1) usquam Pelagoniae regionis nomen inveniri. Quare num illud nominum discrimen quale apud recentiores cernitur, iam belli Peloponnesiaci aut Philippi Amyntae f. temporibus tribuendum sit, admodum dubium est. Neque deest satis certum argumentum, quo rem quondam aliter se habuisse demonstretur. Constat enim urbi nobilissimae Lyncestarum, quae plerumque Heraclea vocatur (Polyb. XXXIV, 12, 6 apud Strabonem VII p. 323 Cas. Caesar B. C. III, 79, 3. Liv. XXXX, 24, 5. Plin. N. H. IV, 38. Ptolem. III, 13, 33) etiam Pelagoniae nomen fuisse (Liv. XXXI, 28, 5. 33, 3. XLV, 29, 3[1]). Diod. XXXI, 8, 8 Dind. Hieroclis Synecd. p. 641, 7).

---

[1]) Hoc quoque loco de urbe Pelagonia dici luce clarius est. Nam indicantur quattuor civitatium Macedonicarum capita, i. e. loca quo eorum senatus (συνέδρια) conveniant; quo in numero regionem satis late patentem recensere ridiculum esset. Quod autem Strabo VII fragm. 48 p. 87 Kramer. haec habet: καὶ τὸ μὲν προσένειμεν

4

Namque eandem utroque nomine urbem indicari cum ex hominum Byzantinorum testimoniis (Ἡράκλεια ἡ νῦν Πελαγονία est in laterculo inscripto περὶ ἐπωνυμίας πόλεων καὶ τόπων in Partheyi editione Hieroclis append. 3 n. 104 p. 317. ἐν Ἡρακλείᾳ τῇ Μυσῶν, ἣν Πελαγονίαν τινὶ γλώττῃ κατακολουθοῦντες Ῥωμαῖοι νῦν ὀνομάζουσιν Ioannes Cinnamus III, 17 p. 127 ed. Bonn.), tum ex Livii narratione apparet, qui Persea Philippi patris iussu fauces ad Pelagoniam sitas occupasse narrat, ne ab Illyrico Romani irrumperent. Atqui constat (cf. Barth. p. 142) nusquam exercitui aditum in Macedoniam ab occidente patuisse nisi iuxta urbem *Bitolia* (*Monastir*), quam Heracleam Lyncestarum esse certum est. Quaenam vero inter haec duo nomina ratio intercedat, ambigitur. Henricus Kiepert quidem (*Lehrbuch der alten Geographie* I p. 312) cum infimis demum imperatorum Romanorum temporibus Pelagoniae regionis nomen huic urbi — non in ea regione, sed in Lyncestide sitae — impositum esse pronuntiat, Livii locorum oblitus esse videtur. At Livius utrum suae aetatis usum sequatur an illorum temporum quorum res describit, iure meritoque videtur dubitari posse. Conieceris enim ipsam Macedoniae in quattuor civitates distributionem in causa fuisse, cur illa urbs nomen mutaret. Si enim quartae regioni, in qua praeter Lyncestas, Orestas, Elimiotas etiam Pelagones fuerunt, tum a Romanis Pelagoniae nomen latiore vi inditum sumamus, fieri potuit, ut sensim regionis nomen usu cotidiano sermonis ad oppidum, quod eius caput esset, transferretur; quod in omnibus fere Galliae civitatibus sub imperio Romanorum factum esse nemo nescit. Quod ut speciosum est, ita verum non est. Neque enim omnino Romani quattuor civitates nominibus propriis a gentibus qui eas incolerent repetitis designarunt, sed praeter Livium Strabonemque, quos propria nomina tacuisse dicas, etiam nummi testantur eos simpliciter Μακεδόνων πρώτην, δευτέραν, (τρίτην), τετάρτην vocatas esse (Eckhel D. N. II p. 63. Marquardt *Röm. Staatsverw.* I p. 161). Quare si Pelagoniae regionis nomen aliquando latius patuit, hoc certe non ab illa Macedoniae divisione repetendum est. Livius autem, si Heracleam nominatam invenisset in narratione de Macedonia quadrifariam divisa, non magis hic ex suae aetatis usu alterum nomen sub-

---

Ἀμφιπόλει, τὸ δὲ Θεσσαλονικείᾳ, τὸ δὲ Πέλλῃ, τὸ δὲ Πελαγόσι, paullo inconsideratius gentis nomine usus est.

stituisset quam XXXX, 24, 5 id fecit. Quare quin iam Polybii aetate Pelagoniae nomen illi urbi fuerit, dubitari nequit[1]. At ante Polybium ne Heracleam quidem Lyncestarum quisquam memorat, ita ut utrum antiquius nomen sit, testimoniis certe scriptorum discerni nequeat. Quod cum ita sit, ex Pelagoniae urbis nomine colligi licet, fuisse aliquando tempus, quo Lyncestae partem Pelagonum efficerent. Sic igitur statuo: Natio antiquissima Pelagonum, cum prisco tempore a Paeonibus expulsa esset ex regionibus quas Axius amnis perfluit, occidentem versus profecta totam planitiem montibus circumdatam, per quam Erigon fertur a septentrionibus ad meridiem, occupavit. Cuius campi ea pars, quae ad meridiem vergit, tam plana ut eam olim lacum fuisse opinentur recentiores, peculiare nomen Lynci habebat[2]. Qua ex parte cum Pelagonum ager attingeret Macedonum fines, apud hos primum Lyncestarum nomen invaluisse atque ab eis ad Graecos permanasse consentaneum est; quod belli Peloponnesiaci aetate iam in usu fuisse Thucydidis loci docent. Neque tamen est, cur et illo et adeo posteriore tempore ipsos etiamtum antiquiore Pelagonum nomine usos esse negemus. Sed facile intellegitur, etiam septentrionali illi regioni nomine quodam opus fuisse, quo a meridionali totius Pelagonum agri parte, quae Lyncus vocabatur, discerneretur. Quare cum tres civitates haberet, ἡ τριπολῖτις Πελαγονία[3]) vocata est, quod cognomen ipsum indicat,

---

[1]) A Polybio in his Livium pendere Nissen evicit *krit. Unters. üb. die Quellen d. Liv.* p. 277. 73.

[2]) Hoc nomen nihil umquam aliud quam regionem significasse videtur. Nam urbem Lyncum, cuius apud recentiores passim mentio fit, umquam fuisse praefracte nego. Etenim omnes qui hanc in rem afferri solent loci ita comparati sunt, ut de regione eos intellegi aut liceat (Liv. XXXI, 33, 6. Plut. Flamin. 4) aut adeo necesse sit (Thuc. IV, 83, 2. 124, 1. 129, 2. 132, 1. Liv. XXVI, 25, 4. XXXII, 9, 9) praeter unum Stephanum Byzantium s. v. qui sane Λύγκος, πόλις Ἠπείρου habet. Sed etsi non puto, quod fuerunt qui existimarent, πόλις apud Stephanum etiam regionem aut gentem significare, tamen apparet eum errore nomina regionum quae apud auctores suos invenisset, de urbibus intellexisse (cf. Ὀρδαία, πόλις Μακεδονίας, cum s. v. Ἐορδαῖαι habeat δύο χῶραι). Etiam de monte Lynco, quem Barthius p. 149 eum fuisse existimat, qui nunc *Sukha-Gora* vocetur, vehementer dubito: Livi certe locus XXXII, 13, 2. 3 huc omnino non pertinet; qui enim ibi commemorantur montes, non modo plane alia in regione, inter Macedoniam Thessaliamque, siti erant, sed ex verbis *in montes Lyncon* apparet, eis non Λύγκος, sed λυγκῶν ὄρη, a frequentia eius animalis nimirum, nomen fuisse.

[3]) Etenim Pelagonia τριπολῖτις bis (VII p. 326. 327) a Strabone commemorata quin eadem regio sit quae alibi simpliciter Pelagonia vocatur, nullo modo dubitari licet; nam quod altero loco scriptum est τριπολῖτις γοῦν ἡ Πελαγονία ἐλέγετο,

etiamtum Pelagoniae nomen latius patuisse, ut distinctione opus esset. Postea vero cum magis magisque in oblivionem veniret, Lyncestas quoque origine Pelagones esse, iam septentrionalis regio molesto illo additamento omisso nude Pelagonia vocari coepta est, cuius usus exempla supra collegimus.

Quae si recte disputata sunt, iam nihil impedit, quominus utrumque titulum ad eundem hominem, Lyncestam natione, referamus. Eum cum Arrhabaeo regulo necessitudinis quodam vinculo coniunctum fuisse non improbabile est; nam etsi non est, cur illud nomen etiam extra regiam stirpem apud Lyncestas usitatum fuisse negemus, tamen cum in plebiscito Attico scriptum sit v. 21 sqq. [ἐπει]δὴ [δ]ὲ καὶ οἱ πρόγονοι οἱ [Μενελάου εὐεργ|έται ἦσαν] τοῦ δήμου τοῦ Ἀθη[ναίων, εἶναι καὶ| Μενέλαον εὐεργέ]τη[ν. . . ., huius εὐεργεσίας originem redire ad Arrhabaeum qui Athenienses in bello Peloponnesiaco adiuverat, a veri similitudine non abhorret.

Neque vero quomodo fieri potuerit, ut Menelaus idem qui Timotheo atque Atheniensibus in bello contra Chalcidenses Amphipolitanosque anno 363/2 a. Chr. fidelem utilemque operam praestiterat, ab Iliensibus propter benificia in se collata et libertatem defensam proxeniae honore afficeretur, difficile est dictu. Immo plus una occasione id fieri potuisse apparet. Primum enim Demosthenes XXIII, 154 sqq. refert, ex ipso bello Amphipolitano Charidemum Oritam a Timotheo dimissum in Asiam transiisse, ibique cum Mentori Memnonique Artabazi affinibus operam suam locasset, summa perfidia usum eis subito Cebrena, Scepsin, Ilium eripuisse[1]. Tum vero, cum ipse nihil nisi haec mediterranea loca te-

---

per leges sermonis Graeci nihil aliud significare potest, quam regionem, quae scriptoris aetate Pelagonia vocetur, antea aliquando τριπολίτιδος cognomine usam esse. Unde apparet, longissime a vero aberrasse O. Abelium qui (p. 35 not. 1) tripolin a Livio XLII, 53, 6 commemoratam, quam ex eiusdem XLIV, 2, 8 Perrhaebiae partem fuisse patet, eandem esse vult cum illa Strabonis Pelagonia tripolitide. Neque omnino in illis Macedoniae Thessaliaeque confiniis quisquam ex veteribus novit Pelagonas; nam apud Aelianum var. hist. III, 1 quin Ortelii emendatio Πελασγίας pro Πελαγονίας plane necessaria sit, non licet dubitare. In eo sane Strabo erravit, quod Azorum urbem, quae tripolis Perrhaebicae est, ad Pelagoniam tripolitida rettulit. Sed huius erroris facile veniam concedemus homini, qui neque illas terras umquam oculis viderit et ipse indicet urbes, quae quondam in Pelagonia vicinisque regionibus fuerint, dudum deletas esse. Num forte Βυλάζωρα urbis nomen (Polyb. V, 97, 1. Liv. XLIV, 26, 8) ei erroris ansam dedit?

[1] De Ilio per dolum ab eo capto cf. Aeneae poliorc. c. 24. Plutarchi Sertor.

neret, Artabazum ab Autophradate, cuius captivus erat, liberatum, cui facile ex Phrygia Lydia Paphlagonia commeatus supportaretur, eum obsidione pressisse et brevi in summam rerum necessariarum inopiam adduxisse. Qua re tandem permotum Charidemum ad Atheniensium civitatem confugisse litterisque ad Cephisodotum missis se Chersonnesum Atheniensibus recuperaturum promisisse, si sibi subveniretur. Sed nihil aliud ei in animo fuisse quam Atheniensibus naves praebentibus (τριήρων εὐπορήσας § 156) ex Asia aufugere. Memnonem autem Mentoremque, quia nihil antiquius haberent quam ut Charidemo amoto in summa securitate rebus suis frui sibi liceret, persuasisse Artabazo, ut Charidemum dimitteret[1]). In hac narratione compluria insunt, quae eam causidici, non rerum gestarum scriptoris esse arguant; maxime vero id incredibile videtur, Memnonem Mentoremque, quos haudquaquam ignavos homines fuisse insequentis aetatis res gestae documento sunt, Charidemum, quem obsessum tenebant et — ut Demosthenes ipse quidem narrat — iam ad summam desperationem redegerant, sua sponte dimisisse ut quam primum periculo levarentur et otio uterentur. Quem igitur eo usque summa vi impugnaverant, eum tum, cum facili negotio conficere possent, subito metuere coeperunt! Immo longe alia re Artabazus permotus est, ut Charidemum incolumem abire pateretur: apparet enim ex ipsa Demosthenis narratione, post Charidemi epistulam acceptam Athenienses re vera expeditionem navalem in illa loca misisse[2]). Cui non id modo negotii fuisse puto, ut Charidemum cum militibus in Europam transportaret, sed ut Artabazus Atheniensium metu cogeretur illum dimittere. Neque vero Atheniensium intererat oppida, quae Charidemus tenuisset, Artabazo reddi; quibus quid factum sit neque Demosthenes narrat neque aliunde scimus. Sed quidni statuamus, Athenienses ea condicione pacem inter Artabazum et Charidemum conciliasse,

---

c. 1. Polyaeni strat. III, 14, de oppidorum captorum defensione Pseudo-Aristotelis Oecon. II p. 1351^{b} 19 sqq. Quos omnes locos attulit Valesius ad Harpocrationem s. v. Κεβρῆνα (Vol. II p. 302 editionis Dindorfii Oxoniensis).

[1]) Gesta sunt haec omnia anno 359 a. Chr. (Schaefer *Demosth.* I p. 137).

[2]) Ex eiusdem orationis § 163 intellegitur Cephisodotum ipsum imperatorem tum demum in Hellespontum venisse, cum Charidemus iam dimissus ab Artabazo in Europam transiisset; sed potest aliquis cum parte copiarum praemissus fuisse, qui Artabazo denuntiaret, ut a Charidemi oppugnatione desisteret. Is fortasse Menelaus fuit.

ut illis oppidis Charidemus quidem excederet, ipsa vero libertate fruerentur et cum Atheniensibus foedus inirent? Qui reputaverit, quam turbatus illo tempore imperii Persici status, quanta tum, ante bellum sociale, ante Amphipolim a Philippo captam, etiam fuerit Atheniensium potentia aut certe potentiae opinio, is neque Artabazum adventu classis Atticae ad tales condiciones descendere coactum esse, neque libertatem oppidorum illorum per aliquot annos mansisse mirabitur. Quamdiu manserit, non constat, nam ab illo tempore usque ad Alexandri in Asiam transitum (Arrian. I, 11, 7) nusquam quod sciam Ilii mentio fit.

At etsi haud improbabiliter fingi potest tum temporis Menelaum Cephisodoti missu in Asiam venisse et Ilium ut a Charidemi occupatione ita ab Artabazi obsidione liberasse non armis quidem, sed belli denuntiatione, tamen, quia nusquam traditur tunc re vera Athenienses Asiae minoris rebus se immiscuisse, veri similius est, Menelai de Iliensibus merita ad tempus aliquot annis recentius pertinere. Exstat enim titulus Atticus (C. I. Att. II 108), ex quo appareat aliquando Phocionem, Chareta, Charidemum cum exercitu Attico auxilio venisse Oronti Mysiae satrapae, cumque eo tum foedus ab Atheniensibus factum esse. Ad hoc bellum suo iure Boehneckius (*Forschungen* p. 726) rettulit narrationem Polyaeni V, 21 de proelio ad Atarnea inter Phocionem Atheniensem et Athenodorum qui regiis mercennariis praeerat commisso. Quo tempore haec gesta sint, difficile est diiudicatu. Quod enim veri simile ac paene certum videbatur, ad Orontis aliorumque satraparum defectionem, quam Diodorus XV 90 Molonis archontis anno (362/1 a. Chr.) tribuit, haec pertinere[1], iam refutatum est, postquam de plebisciti illius Attici aetate accuratius edocti sumus a Koehlero. Is enim cum fragmentis *b* et *c*, quorum solorum Boehneckius quique eum secuti sunt rationem habuerant, adiunxisset particulam *a* (Pittakis *l'ancienne Athènes* p. 500. Rangabé *Ant. Hell.* 397), suo iure decretum 'neque Ol. 108 recentius propter praescriptorum formam, neque Ol. 107 antiquius propter rationem scribendi' iudicavit. Quod cum ita esset negavit amplius dubitandum esse quin in fragm. *a* vs. 11 ENI KAMMAXOY

[1] Haec est Boehneckii sententia *Forschungen* p. 726, quam etiam Arnoldus Schaefer *Demosthenes* I p. 137 not. 3 sic probavit, ut verba tituli ἐν τῷ Θαργηλιῶνι μηνὶ (fragm. *b* vers. 9) de anno Nicophemi archontis qui Molonem excepit intellegeret (mense Maio 360 a. Chr.). Cf. etiam Boeckh Opusc. VI p. 188.

ΑΡΧΟΝΤΟΣ nihil aliud lateat quam ἐ[π]ὶ Κα[λλι]μάχου ἄρχοντος (Ol. 107, 4 = 349/8 a. Chr.). Agi igitur hic de rebus aliunde plane ignotis. Atque cum ex Diodoro (V 91) constet, Orontam a sociis coniurationis summae belli praefectum fidem eorum fefellisse et cum rege in gratiam rediisse, nihil miri habet, quod undecim annis post eum etiamtum in munere fuisse invenimus. Tunc denuo rebellasse videtur; neque enim video quanam alia de causa societatem cum Atheniensibus inierit et ab eis exercitu misso adiutus sit[1]. Qui exercitus cum pugnaret contra regis satrapas, facile fieri potuit, ut Menelaus cum parte copiarum in expeditionem missus Ilienses praesidio regio expulso in libertatem vindicaret. Sic igitur titulus Iliensis paullo post 349 a. Chr. incisus esse putandus sit. At sive tunc inscriptus est, sive — ut ex altera illa quam proposui coniectura statuendum esset — fere 359 a. Chr., utique plebiscito honorario Attico Menelai aliquot annis recentior est. Unde simul apparet qui fiat, ut hic Atheniensis vocetur, qui illic Pelago est. Namque ea aetate peregrinos mercennariorum duces nonnullos Attica civitate donatos esse constat Charidemi exemplo (Dem. XXIII, 151. 185. 188. Theopompus [fr. 155] apud Athenaeum X p. 436ᵇ), cui Theodectes apud Aristotelem Rhet. II, 23 p. 1399ᵇ 1 adiungit Strabacem. Eundem honorem etiam Menelao tributum puto, etsi in ea re a Boehneckii quidem sententia discedendum mihi videtur. Qui, cum lapis Atticus duo contineat decreta, prius, quod integrum exstat, s e n a t u s, quo nihil nisi laudes Menelai continentur, alterum, mutilum id quidem, p o p u l i, in quo servata est εὐεργεσίας mentio, conicit praeter hanc etiam alios honores, veluti proxeniam aut civitatem aut utramque coniunctam, tum a populo in eum collatos esse, sed eorum memoriam inferiore lapidis parte deleta intercidisse. Atqui quod de proxenia cum civitate coniuncta dicit manifesto falsum est; nam ut haec, quae sua natura coniungi non possunt — neque enim quisquam eiusdem civitatis, cuius civis est, hospes esse potest — tamen abolita pristina vi cum vana vocabula facta essent, in quibusdam civitatibus coniunctim tribuebantur, ita Athenis id numquam factum esse certo scimus[2].

[1]) Ad hoc utique bellum Polyaeni de Phocionis cum Athenodoro pugna narratio spectat. At quae Polyaenus VII, 14, 2—4 de Orontis et Autophradatis bello habet, ad antiquiorem illam rebellionem potius rettulerim.

[2]) Nam de Hyperidis fragm. O. A. II, 288, 2 Tu recte exposuisti de proxenis Atheniensium Gottingae 1877/8 p. 14.

Namque in titulum honorarium Apellis Byzantii haec proxeniae cum civitate coniunctio supplementis Boehneckii perversis illata est; rectius restitutum titulum exhibet Koehler C. I. Att. II 119. Sed neque civitatem neque proxeniam neque omnino quicquam aliud praeter εὐεργεσίαν tum decretum fuisse ex argumenti indice superscripto Μενέλαος Πελαγὼν εὐεργέτης apparet. Nam hos indices ubi cum ipso decretorum tenore comparare etiamnunc licet, si sola proxenia decernatur, προξένου, si προξενία καὶ εὐεργεσία, utrumque vocabulum adscriptum habere solent (C. I. Att. II, 21. 69. 70). Sane propter spatii angustias hic unum ex illis vocabulis omissum dixeris, quod et facile fieri potuit et alibi factum esse satis constat. At tum non proxenia, sed εὐεργεσία omittenda fuit, quippe quae illius non sit nisi quaedam accessio aut appendix[1]; et sic re vera C. I. Att. II 29 [Κλ]εωναίου προξέ[ν]ου | Ἐχεμβρότου supra scriptum est, cum in decreto v. 9. 10 necessario cum Koehlero supplendum sit πρόξε[νον | καὶ εὐεργέτην]. Neque aliter res se habet II 183, ubi vs. 12 [π]ρόξε]νον καὶ εὐεργ[έτην exstant, vs. 1 vero post [Προξενία Θε]οφάντ[ωι[2]) non liceat καὶ εὐεργεσία supplere cum propter mirum qui

---

[1]) Id inde potissimum cernitur, quod semper πρόξενος καὶ εὐεργέτης, προξενία καὶ εὐεργεσία scribitur, numquam inverso ordine.

[2]) Koehlerus quidem Θεοφάντ[ου supplevit, sed ubicumque substantiva προξενία et εὐεργεσία usurpantur, si quidem omnino casus formam dignosci licet, dativus additus est (C. I. Att. II 66ᵃ. 69. 70. 133. 169. 183. 198. Similiter II 279 [ἰσ]οτέλεια| . . . . ι καὶ Φιλοστρά|[τῳ . . . . .]ίοις). Neque genetivum defendere licebit allato titulo I 62. Illic enim Kirchhoffius sane litteras satis ambiguas ι V C///// supplevit [Προξενία . . . .]ίλου. Sed hoc non recte se habere praeter genetivum etiam ipsum formulae genus indicio est. Namque cum in his argumenti indicibus hominis nomen — aut solum aut adiuncto πρόξενος (-ου) et εὐεργέτης (-ου) —, genetivo aut nominativo casu positum iam in antiquissimis quae aetatem tulerunt decretis inveniatur (C. I. Att. I 16, quem titulum Ol. 84 antiquiorem esse Kirchhoffius ex litterarum formis collegit. cf. praeterea I 65. 73. 74. IV p. 21 n. 76ᵃ), substantivorum προξενία (καὶ εὐεργεσία) usus antiquissimum exemplum est C. I. Att. II 66ᵃ, archonte Elpine (356/5 a. Chr.) incisum. Hoc igitur indicis genus — cum exemplorum numerus multo maior sit quam ut de casu cogitari liceat — non multo ante medium tertium a. Chr. saeculum adhiberi coeptum est. Rarissimus est dativi usus sine nomine unde is casus pendeat; unum eius generis exemplum novi Ἀθηναίου VI p. 152 (archonte Themistocle 347/6 a. Chr.) Σπαρτόκῳ, Παιρισάδῃ, Ἀπολλωνίῳ, Λεύκωνος παισί. Nam C. I. Att. II 262 (Ζωΐλωι Μ. . . . .) nomen προξενία in posteriore versus parte intercidisse potest. Denique totum hunc morem, argumenti indicem brevissimum, maioribus plerumque litteris incisum, plebiscitis praemittendi, initio tertii a. Chr. saeculi in desuetudinem venisse tituli demonstrant. Recentissimum enim exemplum est C. I. Att. II 314ᵇ (284/3 a. Chr.).

evaderet verborum ordinem tum quia spatium non sufficit; patris potius aut patriae designatio illic scripta fuit. Multo minus vero quam proxeniae honorem taceri licuit maiorem illum, qui in civitate Attica peregrino data inest[1]. Quod si tum civitas Menelao data esse non potest, nihil impedit quominus eum postea alio decreto eam adeptum statuamus. Ac tenue quoddam eius rei indicium in lapide etiamnunc videtur exstare. Suo enim iure Koehlerus ex scripturae genere collegit, plebiscitum aliquot demum annis post quam latum esset, huic lapidi incisum fuisse. Iam si meminerimus decretorum de Methonaeis quae ab anno Ol. 88, 1 usque ad 89, 1 (428—424 a. Chr.) lata, sed omnia simul hoc postremo anno lapidi incisa sunt (C. I. Att. I 40), suspicabimur etiam in Menelai titulis idem factum esse, ut cum alia insequentibus annis honorifica de eo ad populum lata essent, Athenienses haec omnia uno tempore incidenda curarent lapidibus, ex quibus hic unus exstat deperdito altero qui decretum de civitate habuit.

Iam cum hucusque de solis titulis Attico et Iliensi dixerimus, operae pretium erit quaerere num qui forte scriptorum loci ubi Menelai alicuius ea aetate mentio fit, huc spectent. Atque Pittakis quidem cum primum ederet plebiscitum Atheniense, et hic et apud Demosthenem IV, 27 intellegendum dixit Ptolemaei Lagi f. fratrem; quod tam absurdum est, ut refutatione opus non sit. Sed quod C. G. Boehnecke, homo et doctrina et ingenii acumine illo longe superior, l. l. p. 226 satis confidenter pronuntiavit, titulo Attico agi de Menelao Amyntae filio, Philippi fratre, id non magis probari potest. Quod nolo sic demonstrare, ut ex privilegio Iliensi apparere dicam, illum Arrhabaei potius filium esse; hoc enim argumentum anceps est, quia quis ea ipsa re, quod Amyntae filio tribuendus sit titulus Atticus, rationes a me supra propositas de tabula Iliensi labefactare conetur. At etiam aliae graves sunt causae, cur ad illum decretum populi Atheniensis spectare non possit. Quas causas Tu quidem, Sauppi, ni fallor unumquemque vel non monitum sensurum sperasti, cum Philologi XIX p. 248 breviter moneres, hunc Menelaum ab illo distinguendum esse. Sed cum Boehneckius ni-

[1] Talia plebiscita cum multo rariora sint illis quibus proxeniae decernuntur, mirandum non est, quod unum modo indicis ΠΟΛΙΤΕ(ία) praefixi exemplum (C. I. Att. II 280) aetatem tulit.

hilo minus utrumque confuderit, gravissimum certe ex illis argumentis hic paucis exponendum est. De Menelao illo nihil fere scimus praeter ea quae Iustinus narrat (VII, 4, 5. VIII, 3, 10. 11), eum Amyntae ex Gygaea[1]) filium fuisse; fratres uterinos habuisse Archelaum et Arrhidaeum. Hos tres fratres Philippum occisurum fuisse, quia regnum appeterent; sed uno (Archelao, cf. Schaefer *Demosth.* II p. 16) caeso duos reliquos Olynthum confugisse et a civibus per misericordiam receptos esse. Qua de causa cum Philippus Olynthiis bellum intulisset, urbe deleta illos ab eo necatos esse. Iam quonam iure aliquem ex his Macedonum regis filiis Pelagona vocari potuisse existimemus? Boehneckio quidem res satis simplex videtur: Menelaum a patre Pelagoniae regioni praefectum esse. At gentium nominibus[2]) uti non licet de peregrinis, qui gentibus praesunt, sed de eis modo, qui origine ad eas pertinent. Sic ο Μακεδών recte dicitur Macedonum rex quia ipse Macedo est. At regiae stirpis Macedonicae iuvenem propterea Pelagonem dici, quia a patre Pelagoniae administratio ei mandata sit, non magis licet, quam eum qui ab imperatore Romano legatus pro praetore in provinciam Syriam missus sit, ea de causa ipsum Syrum vocari. Quod si quis pertinacior Boehneckianae rationis defensor eo confugeret ut matrem Menelai Gygaeam ex Pelagonum gente fuisse statueret, id quoque frustra esset. Nam cum omnino cuius quis gentis sit, paterna, non materna origine definiatur, tum in Macedonum regis filio hoc multo ineptius etiam quam in alio quolibet esset.

---

[1]) Utrum mater eius uxor legitima regis fuerit an paelex, non constat. Nam hoc qui sumpsit O. Abel p. 218 neque testimonio neque ratione firmavit, illud qui demonstrare conatus est Boehneckius l. l. infelicissimis argumentis utitur. Nam quod in Aristotelis Politicorum loco (v. p. 45) huius matrimonii memoriam deprehendisse sibi visus est, nequeo satis mirari. Nimirum illic de Amynta Archelai filio dici, ut manifestum est ex enuntiati structura, ita ne ipse Boehneckius quidem negavit. Ac tamen eum Philippi patrem esse putat, immemor tituli iam decem annis ante editi (cf. p. 45 n. 1) qui hunc Amyntam Arrhidaei filium fuisse docet. (De Amynta Archelai f. cf. A. von Gutschmid in Symbola philologorum Bonnensium F. Ritschelio oblata p. 105.) Quae autem praeterea addit Boehneckius, plane nugatoria sunt: meretricis filio neque Athenienses honores habituros, neque eius originis hominem regnum Macedoniae appetere ausurum fuisse. Nihil umquam audivisse videtur homo doctissimus de Philippo Arrhidaeo, meretricis Thessalae filio, Macedonum rege.

[2]) Sponte patet me hoc loco non dicere de adiectivis quae a regionum nominibus derivantur, sed de ethnicis primitivis.

Ut igitur manifestum est distinguendum esse Menelaum Arrhabaei f. Pelagona sive Lyncestam, cuius uterque titulus est, ab Amyntae filio Macedone, quem Iustinus commemorat, ita nequaquam facile est diiudicatu, uter ex his intellegendus sit apud Demosthenem IV, 27 ἀλλ' εἰς μὲν Λῆμνον τὸν παρ' ὑμῶν ἵππαρχον δεῖ πλεῖν, τῶν δ' ὑπὲρ τῶν τῆς πόλεως κτημάτων ἀγωνιζομένων Μενέλαον ἱππαρχεῖν. καὶ οὐ τὸν ἄνδρα μεμφόμενος ταῦτα λέγω, ἀλλ' ὑφ' ὑμῶν ἔδει κεχειροτονημένον εἶναι τοῦτον, ὅστις ἂν ᾖ. Sane hic nemodum dubitavit, quin Philippi frater designetur. At hoc quomodo conciliari potest cum narratione Iustini, ex qua sola huius Menelai fata novimus? Haec enim aliter intellegi nequit, nisi ut ex ipsa Macedonia Olynthum confugisse ibique usque ad captam urbem permansisse iudicemus fratres Arrhidaeum et Menelaum. Quomodo igitur hic vere anni 351 a. Chr. (cf. Schaefer *Demosth.* II p. 70) Atheniensium equitibus praeesse potuit? Contra Menelaum Pelagona cum Timotheo in Thracia militasse certum, deinde aut cum Cephisodoto in Hellesponto aut cum Phocione et Charidemo in Mysia fuisse probabile est, atque ea condicione, ut nusquam quidem summum imperium teneret, sed tamen satis gravi munere militari fungeretur; quod optime quadrat in hipparchum. Accedit quod ex Demosthenis loco apparet, anno 351 eum equitibus praefuisse non populi suffragiis electum; videtur igitur ab imperatore aliquo — veluti Charidemo — praefecturam accepisse: quod convenit cum ea ratione quae in bello Chalcidico Menelao Pelagoni cum Timotheo Atheniensi praetore intercessit. Denique inter illud tempus, quo Demosthenis oratio habita est, et expeditionem Phocionis collegarumque in Mysiam susceptam, cui Menelaum interfuisse probabile est, vix biennii spatium interest. Quibus omnibus in unum collectis mihi quidem nihil dubii relinqueretur, nisi obstaret gravissimi auctoris Harpocrationis testimonium s. v. Μενέλαος· Δημοσθένης Φιλιππικοῖς· ἀδελφὸς Φιλίππου ὁμοπάτριος. Quem si errasse quidem sumpserimus, facili negotio explicabitur qua re in errorem inductus sit. Nempe Menelaus Pelago cum nusquam universo exercitui belloque praefuerit, consentaneum est, in annalibus Philochori aliorumque qui eius aetatis res gestas scribebant, eius mentionem factam non esse. Quare cum recentiores eum plane ignorarent, proclivis fuit error et quem vel accuratissimus scriptor vix evitaret, ut Demosthenis locus de alio homine aequali et cognomine intellegeretur, praesertim cum ab eo

propter Philippi fratris odium militia in bello ab Atheniensibus contra illum gesto aliena non videretur. Sed tamen Harpocrationem aut eius auctorem errasse propterea non audeo pro certo pronuntiare, quia quae potissimum eius sententiae obstant uno Iustini testimonio nituntur. Quare hoc, etsi multo probabilius mihi quidem videtur Menelaum Pelagona quam Macedona a Demosthene designari, in medio relinquendum est.

DE LOGICA STOICORUM

SCRIPSIT

RUDOLFUS HIRZEL

Pergratum profecto, Hermanne Sauppe, et quod plures exoptaverant tempus aliquando adest, quo liceat gratum erga te animum profiteri; neque ego volui eis non interesse, qui septuagesimum tuum natalem celebraturi sunt. Repetenti vero mihi memoriam earum omnium necessitudinum, quibus tecum inde a parentibus meis coniunctus sum, et reputanti simul quot rebus et quantis, haud scio an pluribus quam tibi ipsi innotuerit, tu me obstrinxeris, vix quicquam dignum visum est, quod festo die tibi munusculum offerrem. Infeliciter igitur accidit, ut in eo nunc ipsum studiorum campo verser, qui ut est fertilissimus spinarum ita careat floribus, quales gratulabundum decent. Aegre id ferentem illud tamen me consolatur, quod tu pristini litterarum nostrarum splendoris nondum oblitus hac nostra aetate ex paucissimorum numero es, qui quoniam philologi sunt nullam philologiae partem a se alienam putant. Quae non propterea dixi, ut te laudarem, id quod arrogantis neque certe mei ingenii foret, sed ut me ipsum excusarem, si forte ineptus viderer esse, quod hac opportunitate verba tecum facere volo de logicis Stoicorum, aridis illis et si res plurimorum iudicio steterit minime dignis in quae accuratius inquiratur. Quae tamen te non prorsus repudiaturum esse spero: antiquae enim philosophiae non hanc vel illam partem te amplecti sed universam tibi curae esse satis eo declarasti, quod non tantum divini oris viro Platoni operam dedisti, sed ne a Philodemo quidem abhorruisti vere Graeculo illo et pusilli ingenii scriptore. Quale philosophiae studium iam in adulescente ap-

paruit: bene enim memini sermonis, quo mihi narrasti te aliquando disputatione de Platonis Parmenide instituta Godofredi Hermanni tui plausum tulisse. Quo clarius documentum edere non potuisti tibi non satis esse per laetos et apertos philosophiae campos ambulare, sed ne difficillima et asperrima quidem te detrectare, quibus ad intima penetratur. His fretus si iam te invitarem ad Chrysippi illas distinctiones et subtilitates etiam subtilius distinguendas et perscrutandas, nimium mihi abuti viderer cum ingenii tui facilitate tum animi benevolentia. Itaque rem propositum est tractare non absconditam sed potius ad omnium notitiam et acumen patentem, et quae tametsi a philosophis neglegi possit, philologis minime contemnenda sit. Ad quos haud dubie attinet quaestio, quae de ipsis logicorum et logicae nominibus habetur.

Quandocumque dubitatio incidit de re, quae intra antiquae philosophiae fines continetur, iam dudum hunc morem — nec solus, ut spero — teneo, ut primum Eduardum Zellerum adeam et eius deinde sententia diligenter expensa si adsentiri ei possum id laetus prae me feram, si meis rationibus in diversam iudicandi viam abire cogor, id tamen admodum cunctanter faciam. Dubitamus autem unde apud veteres eius consuetudinis origo exstiterit, qua logicae vel logicorum nominibus universam illam disciplinam appellabant, quae hodie quoque eodem nomine circumfertur et vel plus quam oportet in causis ac normis definiendi iudicandi concludendi explorandis et exponendis versatur. Ut parentum est liberis nomina ponere ita inventorum rebus a se inventis. Quod tamen saepius aliter evenit. Et logicam quidem quin Aristoteles invenerit nulla dubitatio est, qui si fas est dicere eam etiam in perfectionem summam adduxit; tamen quia de nomine, quo singulas illius disciplinae partes ab ipso inventas et expolitas comprehenderit, ut has omnes unum denique et totum efficere appareret, nihil nobis compertum est, videtur illud vel aliis reliquisse quos post se futuros vidit vel, id quod veri similius est, nondum cogitasse de vinculo, quod arto nexu diversa illa membra contineret. Iam si non fuit Aristoteles, quaeritur quis ille fuerit, qui si non quod utilissimum et maximi momenti esset fecit tamen quod per saecula duraturum esset, cum ad illam ipsam disciplinam logicae nomen transferret. Zellerum igitur consulamus. Qui nobilissimi sui operis II 2 p. 187, 1 mentionem huius quaestionis in-

iecit: sed dolet quod eam tetigit tantummodo et gravioribus sine dubio rebus occupatus de ceteris curiosos lectores satis habuit ad Prantelium remittere librosque notissimos quos ille accurata doctrina insignes de historia artis logicae conscripsit. Quo qui accesserint, vol. I p. 535 responsum ferent hanc logicae appellationem inde ab aetate primorum quos dicunt commentatorum Aristotelis usu divulgatam esse. Neque ea sententia probabilitate caret. Nam sponte unusquisque in eam opinionem devenit, ut quod ipse conditor sectae Aristoteles transmiserit id putet eius discipulos vel qui hos secuti sunt addidisse, praesertim cum constet Peripateticos etiam post Aristotelem a logicis tractandis non alienos fuisse. Quae opinio statim confirmatur, ubi videmus longe elegantissimum Aristotelis interpretem Alexandrum Aphrodisiensem de logica ita loqui quasi id vocabulum diuturno usu sancitum ex ipsa, ut ita dicam, domo et familia Peripateticorum acceperit. Atque Boëthius in eis, quae de topicis Ciceronis commentatus est, etiam certius ac definitius tradidit veteres iam Peripateticos logicae nomine usos esse, quo disserendi rationem et doctrinam designarent[1]. Quibus ne putemus Theophrastum vel antiquiorum aliquem significari, a Cicerone vetari videmur, qui primus inter omnes quorum libri exstant logicam ita commemoravit, ut disserendi ars intellegenda esset. Unde facile consectarium erat eum quem quaerimus Ciceronis aequalem vel potius ipso paulo priorem fuisse. Inter hos vero nemo maiorem famam adeptus est quam Andronicus ille Rhodius, non indignus qui sospitator Aristotelis vocetur: neque absonum foret ab ea opera, quam in digerendis et concinnandis Stagiritae libellis ille collocavit, si eodem ordinandi studio ductum eum statueremus singulas logicae partes dispersas antea et errantes unius disciplinae nomine coërcendas curavisse. Tam bene hic omnia stabilita sunt et inter se concordant, ut supra veri similitudinem iam evecta et extra omnem dubitationem posita videantur.

---

[1]) Ad Cic. Top. I p. 766 (Prantl 535, 9) 'haec est igitur disciplina quasi disserendi quaedam magistra; quam logicen Peripatetici veteres appellaverunt, hanc Cicero definiens disserendi diligentem rationem vocavit; haec vario modo a plerisque tractata est varioque etiam vocabulo nuncupata; ut enim dictum est, a Peripateticis haec ratio diligens disserendi logice vocatur continens in se inveniendi iudicandique peritiam, Stoici vero hanc eandem rationem disserendi paulo angustius tractavere; nihil enim de inventione laborantes in sola tantum iudicatione consistunt deque ea praecepta multipliciter dantes dialecticam nuncupaverunt'.

Et profecto quis audeat sententiae refragari, quam minanti ac truci vultu, ne dicam destricto ense, tuetur acerrimus et veterum et recentiorum logicorum exagitator Monacensis. Attamen nescio qui deus me vel potius quae mala fortuna agit, ut misellus homuncio in manifestam perniciem ipse ruam magno illi posthac stultorum et ineptorum gregi adnumerandus, qui pascitur per pagellas historiam artis logicae enarrantes. Quominus enim illius sententiam meam faciam, obstat res omnibus notissima, quod nimirum λογικός vocabulum ab Aristotele non adhibetur ad unam aliquam disciplinam indicandam, quae certis rerum finibus circumscribitur, sed viam rationemque denotat, quam de rebus diversissimis disserentes sequi licet. An mihi quisquam obiciet quae in Topicorum primo (p. 105^{b}, 19 sqq.) leguntur de propositionibus distinguendis ethicis physicis logicis[1]? Vix crediderim. Sed cum immoderata nuper de omnibus ambigendi libido inter philologos grassetur, operae videor pretium facturus, si eis quae Theodorus Waitz iam adnotavit, pauca addidero. Evolvant igitur, quibus nondum omnis scrupulus exemptus est, eiusdem libri p. 104^{b} 1 sqq.[2]. Videbunt haud dubie ethicas sive morales intellegendas esse, quae ad expetendum aliquid aut fugiendum spectant ideoque in vitae actione nostraque incitanda voluntate vim habent veluti illud utrum parentibus plus oboediendum sit an legibus, deinde physicas sive naturales, quae ad augendam scientiam aliquid conferunt qualis est de mundi sempiternitate proposita quaestio, denique logicas non eas esse, quas rationales dicere liceat, sed quaecumque generale aliquid declarant et tales sunt ut earum neque in vita degenda neque ad scientiam cognitionemque amplificandam ullus usus

---

1) ἔστι δ' ὡς τύπῳ περιλαβεῖν τῶν προτάσεων καὶ τῶν προβλημάτων μέρη τρία. αἱ μὲν γὰρ ἠθικαὶ προτάσεις εἰσίν, αἱ δὲ φυσικαί, αἱ δὲ λογικαί. ἠθικαὶ μὲν οὖν αἱ τοιαῦται, οἷον πότερον δεῖ τοῖς γονεῦσι μᾶλλον ἢ τοῖς νόμοις πειθαρχεῖν, ἐὰν διαφωνῶσιν· λογικαὶ δὲ οἷον πότερον τῶν ἐναντίων ἡ αὐτὴ ἐπιστήμη ἢ οὔ, φυσικαὶ δὲ πότερον ὁ κόσμος ἀΐδιος ἢ οὔ. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ προβλήματα.

2) πρόβλημα δ' ἐστὶ διαλεκτικὸν θεώρημα τὸ συντεῖνον ἢ πρὸς αἵρεσιν καὶ φυγὴν ἢ πρὸς ἀλήθειαν καὶ γνῶσιν, ἢ αὐτὸ ἢ ὡς συνεργὸν πρός τι ἕτερον τῶν τοιούτων· περὶ οὗ ἢ οὐδετέρως δοξάζουσιν ἢ ἐναντίως οἱ πολλοὶ τοῖς σοφοῖς ἢ οἱ σοφοὶ τοῖς πολλοῖς ἢ ἑκάτεροι αὐτοὶ ἑαυτοῖς. ἔνια μὲν γὰρ τῶν προβλημάτων χρήσιμον εἰδέναι πρὸς τὸ ἑλέσθαι ἢ φυγεῖν, οἷον πότερον ἡ ἡδονὴ αἱρετὸν ἢ οὔ, ἔνια δὲ πρὸς τὸ εἰδέναι μόνον, οἷον πότερον ὁ κόσμος ἀΐδιος ἢ οὔ, ἔνια δὲ αὐτὰ μὲν καθ' αὑτὰ πρὸς οὐδέτερον τούτων, συνεργὰ δέ ἐστι πρός τινα τῶν τοιούτων· πολλὰ γὰρ αὐτὰ μὲν καθ' αὑτὰ οὐ βουλόμεθα γνωρίζειν, ἑτέρων δ' ἕνεκα, ὅπως διὰ τούτων ἄλλο τι γνωρίσωμεν.

sit. Et logicarum quidem propositionum ipse Aristoteles exemplum exhibuit eam, qua disceptatur utrum contrariorum una eademque scientia sit necne. Neque ullum illustrius esse potuit ad intellegendum his logicis propositionibus non quasi quandam prolusionem fieri ad posteriorum artem logicam. Nam illa de scientiae natura quaestio neque ea est quae ad logicam pertineat et ipse Aristoteles, quotiescumque in Analyticis eam tangit, id ita facit ut exemplum ad doctrinam aliquam illustrandam se afferre voluisse appareat, non rem commemorare quae in ipsum orbem comprehensionemque analyticorum cadat[1]. Tantum igitur abest ut verum sit quod Waitzius ait intellegi saltem, quemadmodum ex ea, quam apud Aristotelem habet, notione λογικός vocabulum in posteriorem transierit, ut ne cogitari quidem id possit. Nam qui ad Aristotelem se adplicuerat, cum certa iam ac definita notione hoc λογικῆς vocabulum praeditum vidisset, numquam ausus esset novam aliquam notionem eidem vocabulo obtrudere. Quare Peripatetici si nomen illi disciplinae dare voluissent, aliud haud dubie elegissent, quod cum Aristotelis vel philosophia vel loquendi usu melius conveniret.

Sed talia ut in mera coniectura posita nulla testimoniorum auctoritate confirmata sunt qui nihili faciant et ut venti flatibus nubes ita haec omnia uno Boëthii testimonio arbitrentur dissipari. Hi velim diligentius ipsius Boëthii verba inspiciant. Nam λογικῆς nomen disciplinae huic tribuisse Peripateticos dicit neque tamen addit eos id primos fecisse. At dicet aliquis non de Peripateticis in universum sed de veteribus tantum loqui Boëthium. Cui respondebo veteres a Boëthio, cuius vita ultra initium sexti post Christum saeculi prolata sit, etiam eos haberi potuisse, quorum vita intra primi saeculi fines substiterit. Iam vero si posteriores tantum Peripateticos λογικῆς nomen usurpare illius testimonio probaretur, nihil prorsus hinc de origine huius nominis concludendo efficeretur. Quibus bene consideratis si non infringitur, infirmatur tamen Boëthii auctoritas. Atqui haec una est, quae Peripa-

[1] Uno liceat defungi exemplo, quod in Analyticis Prioribus exstat I p. 24^a 21: πρότασις μὲν οὖν ἐστὶ λόγος καταφατικὸς ἢ ἀποφατικός τινὸς κατά τινος. οὗτος δὲ ἢ καθόλου ἢ ἐν μέρει ἢ ἀδιόριστος. λέγω δὲ καθόλου μὲν τὸ παντὶ ἢ μηδενὶ ὑπάρχειν, ἐν μέρει δὲ τὸ τινὶ ἢ μὴ τινὶ ἢ μὴ παντὶ ὑπάρχειν, ἀδιόριστον δὲ τὸ ὑπάρχειν ἢ μὴ ὑπάρχειν ἄνευ τοῦ καθόλου ἢ κατὰ μέρος, οἷον τὸ τῶν ἐναντίων εἶναι τὴν αὐτὴν ἐπιστήμην ἢ τὸ τὴν ἡδονὴν μὴ εἶναι ἀγαθόν. Plura suppeditabit Hermannus Bonitz in Indice p. 246^a 13 sqq.

teticis patrocinatur. Nam Ciceronem illi ipsi, qui logicam a Peripateticis hoc nomine insignitam esse contendunt, de solo tempore testantem faciunt ceterum eius verborum nimis incuriosi. Cuius utilissimi scriptoris libros cum non ea qua par est sed ea qua ipse scripsit diligentia pertractarent, accidit non solum ut ex longinquo petere vellent quod ad manus esset, sed etiam ut in gravem errorem inciderent. Libello de fato ubi praefatur Cicero 'obscura, inquit, quaestio est quam περὶ δυνατῶν philosophi appellant, totaque est λογική, quam rationem disserendi voco'. Quae verba ipsius Ciceronis sunt neque alii tribuuntur eorum, qui in dialogo sermocinantium partes tenent. Inde probabile fit eos philosophos, quos ipse Cicero in doctrina duces secutus est, disserendi rationem appellasse λογικήν. Sed ea re non multum lucrati videmur, quoniam ille non in una aliqua philosophia habitavit sed per plures incerti animi vagatus est et, ut tempus ac res ferebat, modo huc modo illuc sese convertit. Ut vero vel in maxima animi inconstantia et varietate ille versatus sit, quis umquam audivit eum aliquando Peripateticum se professum esse? Contra voluit certe inter Academicos haberi. Qui numquam, postquam Socratis disciplinam renovandam sibi proposuerunt, tantopere institutum suum deseruissent, ut dialecticae nomen inde fere a Socrate traditum eiusque et Platonis philosophandi rationi unice aptum cum novo commutarent et tali quod peculiare illud philosophiae genus minus bene declaret. Apage igitur etiam hanc opinionem. Restant Stoici. Quos constat Ciceronem ibi quoque non raro expressisse, ubi Academici ut ita dicam pelle indutus id dissimulavit. Luculentum huius rei exemplum in secundo de finibus est. Postquam enim ab initio Academicorum in disputando morem descripsit eosque se secuturum esse promisit, in ceteris quae contra Epicureos disputantur exstitit germanus Stoicus, ut eorum alicuius ex scriptis haec desumpta esse iam Nicolaus Madvig intellexerit. Consentaneum autem est quae brevius ac summatim in primo de finibus contra Epicureos ab eodem Cicerone disseruntur ex eodem fluxisse fonte. Quem cum nuper acrius investigassent, artioribus paulo finibus Madvigii iudicium circumscripserunt, ita ut unum aliquem ex posterioribus Stoicis Ciceronis auctorem fuisse dicerent. Et bene quidem huic rei congruit, quod aliis Stoicis alium philosophiae partium ordinem statuentibus in primo de finibus (cf. 6, 17 sqq.) is obtinet, quem Panaetium et Posidonium secutos Dio-

genes Laërtius [1]) VII 39 refert. Iam quae sunt istae philosophiae partes sive disciplinae? Nimirum notissimae illae, quarum naturalis primo, moralis ultimo loco ponitur; medium inter utramque tenet, quae est quaerendi ac disserendi ars eamque exspectaveris dialecticam vocatum iri. Iure igitur mireris, quod ea λογική dicitur. Quid? Num subito ex Stoicorum castris ad Peripateticos Cicero transiit? Id credat Iudaeus Apella. Erunt tamen haud dubie probi homines et spectatae fidei Christiani, qui existiment hac una re omnia ea corruere ut non satis solido superstructa fundamento quae de Cicerone in primo et secundo de finibus a Stoicis pendente modo argumentatus sum. Quorum ut vel anxiam dubitationem vel pertinaciam rigidam vincere possim, bene evenit, quod in alia Ciceronis verba incidi, quae ceterorum oculos fugisse videntur. In Tusculanarum enim quarto (cf. 14, 33) diu in partiendis ac definiendis animi perturbationibus Arpinas noster versatus 'habes ea, inquit, quae de perturbationibus enucleate disputant Stoici, quae λογικά appellant, quia disseruntur subtilius'. Non Aristotelio more quae in generibus universis haerent ideoque, quod ad peculiares uniuscuiusque rei causas non descendunt, ad veritatis doctrinam exiguum tantum fructum habent, ea hic λογικά vocantur, sed quae ad partitiones ac definitiones pertinent, res ipso Aristotelis iudicio veritatis cognitioni utilissimas. Habes igitur ab Aristotele alienum ac novum loquendi morem, neque qui eo usi sunt cur id fecerint facile explicaveris nisi statueris eosdem esse, qui dialecticam id est eam disciplinam, cuius finibus partiendi quoque ac definiendi artem includi plerique omnes existimarunt, logicae nomine impertierunt. Quae ista philosophorum natio fuerit, non potest illis Tusculanarum verbis lectis cuiquam obscurum esse. Nam Stoicis commemoratis nullo verbo interiecto adiungit 'quae λογικά appellant'. Quae si nolueris de Stoicis intellegere, aut de omnibus philosophis in universum cogitabis aut de eis quorum disciplinam Cicero prae se fert, quod utrumque tam aperte falsum est ut refutandis eis molestus futurus sim.

---

[1]) Liceat enim ita eum nominare, quamquam plerique hodie solum Laërtium Diogenem agnoscunt, nimium opinor aliorum auctoritatibus freti quam rationibus quas bene perspectas habeant. Alia enim res est in Cassio Dione. Neque is sum qui Diogenem Laërtium verum nomen credam, sed rem in medio relinquo quemadmodum priores eidemque cautiores iudices fecerunt.

Videtur igitur certum iam ac stabilitum esse non Peripateticis, ut vulgo fertur, sed Stoicis logicae nomen deberi. Ne tamen nimio ac praematuro gaudio exsultemus! Audire enim mihi videor increpantes iudicii infirmitatem doctrinae levitatem ipsumque Ciceronem mihi inculcantes, qui in secundo de oratore 38, 157 testis sit a nobilissimo Stoico Diogene Babylonio artem bene disserendi et vera ac falsa diiudicandi διαλεκτικῆς nomine insignitam esse. Neque hic solus fuit sed cum eo faciunt Posidonius et Chrysippus, qui Diogene Laërtio [1]) auctore ita dialecticam definierunt ut alio ad hanc philosophiae partem designandam nomine quale λογική fuisset non eguisse videantur. Accedit Boëthius idemque se iam dudum dixisse magna voce clamat Stoicos dialecticae nomen Peripateticos logicae usurpasse. Ita hic quem modo iacentem credebamus erigitur firmoque pede contra Ciceronem vel potius contra pravos eius interpretes obnititur. Ex his angustiis quomodo nos expediemus? Ecce desperantibus iam et paene obrutis Seneca primam et gratissimam opem fert: qui in epist. 89, 9 tres a Stoicis philosophiae partes enumeratas esse dixit moralem naturalem rationalem. Rationalem autem cum dicit, vertit Graecorum λογικήν. Neque testem tantum ita nanciscimur sententiam nostram confirmantem sed etiam arbitrum qui litem modo ortam componat. Duae enim in eadem epistola rationalis disciplinae partes distinguuntur, una quae verba curat et sensus et ordinem ῥητορική, altera multarum ac variarum et ipsa partium διαλεκτική. Quamquam igitur logica et dialectica non prorsus eaedem sunt et altera ampliorem significatum habet, magna tamen ex parte inter se congruunt ideoque facile fieri potuit, ut duo haec nomina promiscue usurparentur [2]) et logica saepius diceretur quae ex propria ac peculiari Stoicorum loquendi consuetudine dialectica vocanda esset. Id quod eo minus mirandum est, quod illarum λογικῆς partium rhetoricae Stoici

---

[1]) cf. VII 62: διαλεκτικὴ δέ ἐστιν, ὥς φησι Ποσειδώνιος, ἐπιστήμη ἀληθῶν καὶ ψευδῶν καὶ οὐδετέρων· τυγχάνει δ' αὕτη, ὡς ὁ Χρύσιππός φησι, περὶ σημαίνοντα καὶ σημαινόμενα.

[2]) Ita Cicero in Tusculanarum quarto quae ipse deinde logica vocavit antea 5, 9 ita significaverat ut orationem se paululum dialecticorum remis propulsurum esse diceret. Et quae in tertio de finibus 21, 72 virtus dialectica appellatur, eadem est atque ἀρετὴ λογική de qua cf. Diog. Laert. VII 92. Eodemque pertinet Diog. L. 83 ubi solum sapientem esse dialecticum probatur eo quod omnes res quaecumque vel naturalis sunt vel moralis partis cognoscantur διὰ τῆς ἐν λόγοις θεωρίας.

minimum tribuerunt, multoque eis gravior dialectica visa est, quam solam fere excolebant.

Nondum tamen omnis ex animo scrupulus evulsus est. Seneca enim cum posteriorum Stoicorum sit ab antiquiorum severitate disiunctissimus, ad hanc quam agitamus quaestionem decernendam si eius libros adhibere volumus, caute admodum id faciamus oportet, ne Stoicis imputemus quae posteriores illi ab aliis philosophis mutuati sunt. Quaeritur igitur num eodem modo ut Seneca iam antiquiores rhetoricam et dialecticam uno logicae nomine comprehenderint. Diogenes Laërtius postquam in principio eorum, quae ad doctrinam et decreta Zenonis spectant, de universa philosophia in partes distribuenda exposuit variasque de hac re Stoicorum sententias commemoravit, ad singulas partes rursum dividendas progreditur initiumque facit § 41 a logica. Τὸ δὲ λογικὸν μέρος, inquit, φασὶν ἔνιοι εἰς δύο διαιρεῖσθαι ἐπιστήμας, εἰς ῥητορικὴν καὶ διαλεκτικήν. Quae sequuntur eo libentius omitto quo pluribus impediuntur difficultatibus, in quibus tollendis paucos abhinc annos vir infausti nominis Nicolai libello de logicis Chrysippi libris edito frustra laboravit. Omnia hic perturbata sunt neque ea levi bracchio agenda. Discimus autem iam ex eis quae posui verbis non omnes omnino Stoicos in dividenda logica eandem quam Senecam viam tenuisse. Quare caput quaestionis nunc in eo cernitur, ut nonnulli (ἔνιοι) isti qui sint diligentius perscrutemur. Facere aliquid videtur ad rem quod ipse Diogenes logicam Stoicorum doctrinam § 42 sqq. adumbraturus ab eadem divisione exorsus est. Quamquam enim ille § 38 pollicitus est Stoicorum omnium doctrinam se expositurum esse, tamen cum id faciat Zenonis vita descripta ceterorumque et vitas et decreta singularia postea demum adiungat, fortasse inde aliquis suspicetur hanc logicae distributionem certo auctori nulli assignatam a Zenone derivandam esse. Magno tamen in errore versetur qui de huius coniecturae veritate nimis confidat: facile enim fieri potuit ut, quemadmodum oratores Attici incertae originis leges ad Solonem celeberrimum legum latorem rettulerunt, ita posteriores historiam philosophiae tractantes decreta Stoicorum qualiacumque, quorum tamen certum auctorem ignorarent, ad principem et huius philosophorum familiae tamquam parentem transferrent. Fidem huic opinioni faciunt quae de Cleanthe accepimus, quem idem Diogenes § 41 tradidit sex philosophiae partes distinxisse dialecticam rhetoricam ethicam po-

liticam physicam theologicam. Digna haec res iam dudum erat, quae diligentius attenderetur, quo splendidiore luce illius viri philosophandi ratio collustraretur, hic autem ea tantum de causa enotanda est, quod ita apparet ex Cleanthis sententia et dialecticam et rhetoricam singulares per se disciplinas constituisse. Quis vero utramque uno nomine iunxit? An Chrysippus ut aliarum permultarum ita huiusce rei fuit novator? Ita si arbitramur, e Scylla ut aiunt in Charybdim incidimus; nam dum eorum vitium evitare volumus, qui in Stoicae sectae conditorem plus cumulant quam ille sustinere potest, periculum est ne ipsi iusta ac debita laude eum defraudemus. Quam ei iam tribuit Diogenes Laërtius. De Stoicorum enim doctrina is verba facere exorsus diversas dicit eos posuisse disciplinas physicam ethicam logicam, quibus universa philosophandi ratio contineretur. Neque hic distinguendi modus ut ait idem Diogenes paucorum tantum suffragia tulit, sed a plurimis ut videtur probatus est, inter quos Chrysippus, tum Babylonius ille Diogenes, Posidonius denique claritate praestant. Primo tamen loco Zenonem Citicum nominavit, quippe quem omnium primum ita divisisse dicat eamque divisionem in libro cui περὶ λόγου inscriptum erat proposuisse. Nondum haec verba idoneum interpretem nacta sunt et qui strenue munere suo fungeretur. Quid enim? Nonne aperte pugnant cum eis quae Zellerus hist. philos. II, 2 p. 488, 2 testimoniis allatis firmasse videtur: philosophiae in tres illas partes dividendae, ad rerum ordinem et tractationem si spectes, auctorem Platonem fuisse, verbis ac nominibus autem eius discipulum Xenocratem omnium primum id expressisse ita ut physicam et ethicam cum inter se tum a dialectica separaret? Nam nisi quis demonstraverit λογικήν et διαλεκτικήν nomina diversarum disciplinarum fuisse, vereor ne inter Xenocratem Chalcedonium et Zenonem Citieum aemulantes de huius inventionis laude contentio futura sit eo acrior, quo graviore uterque et constantiore animo fuisse perhibetur. De qua lite ne cogitarunt quidem quorum in his rebus tractandis studia ponuntur, nedum quis exstiterit qui eam componere conaretur. Nam dummodo id facere animum quis induxisset, facillime id quod voluit assecutus esset. Quis non audivit Antiochum Ascalonitam veteris Academiae instauratorem opprobrio vertisse Zenoni, quod non qualem se professus est rerum inventor fuisset, sed verborum tantum novorum opifex! Nolo hanc sententiam probare, quam satis constat neque sub-

tilis neque aequi iudicis esse; opportune tamen ea admonemur eius viae quae in explicandis Diogenis verbis ingredienda est. Nam ea si non ad ipsam divisionem philosophiae sed ad nomina rettuleris, omnia expedita erunt stabitque et Xenocrati et Zenoni sua meriti portio. Plus fecit Xenocrates, qui primus illam universae philosophiae partitionem privatim ut ita dicam iam antea agnitam etiam publice veram et legitimam pronuntiavit, non nihil tamen addidit Zeno, cum dialecticam quam Chalcedonius ille vocaverat in logicam mutaret. Dixeris perexiguam laudis partem Zenoni relinqui ac vix tantillam, ut propterea a Diogene primus dicatur philosophiam hac triplici ratione dispertiisse. Attamen mentione certe digna erat ea nominis mutatio, quae postea plurimis et primariis philosophis placuisset. Accedit quod ne verum quidem est hanc mutationem ad solum nomen pertinere. Postquam enim Aristoteles insatiabili discendi cupiditate et divino abreptus ingenio, quod Atlantis instar universo scientiarum orbi sufficeret, claustra effringere ausus est, quibus ante eum philosophia coartata in solis fere generalibus rerum et agendi principiis enucleandis versaretur, atque latiorem variae doctrinae campum sociis studiorum aperuit, qui eisdem quibus cognoscendi studium finibus terminaretur, vix fieri potuit quin tres illae priorum philosophorum partes a multis reicerentur, ut quae adauctam philosophiam et amplificatam non totam complecterentur. Ita rhetoricae cum certus locus non relinqueretur, ipse Aristoteles eam exulare passus est, licet civili parti eam adfinem iudicaret. Cui incommodo Stoici mederi studuerunt. Novam igitur disciplinam excogitarunt, quae et dialecticam et rhetoricam amplecteretur, eique ex re aptissimum nomen λογικῆς indiderunt: λόγος enim, cui vocabulo quod plane respondeat egestas linguae Latinae non habet, non minus alternos disputantium sermones quam orationem continuam complectitur. Haec credo erat primaria causa quae Zenonem impulit ut primus λογικῆς nomine ad partem aliquam philosophiae designandam uteretur; videturque huius rei rationes in eo opere exhibuisse, cui περὶ λόγου inscriptum erat. Cleanthem in hac re ut in aliis non videtur assentientem habuisse. Ab insequentibus autem Stoicis ita probatus est, ut haec philosophiae partitio magis magisque invalesceret et ultra Stoicorum familiam ad alios quoque philosophos propagaretur. In quibus Peripateticos fuisse iam vidimus, eaque re iure offensi sumus, quod, si Aristotelium morem

illi imitari voluissent, λογική eis longe alia notione accipienda erat. Verum enim vero tanta in his rebus de Stoicis tum existimatio erat, ut etiam Aristotelis apud sectatores eius auctoritatem superaret. Id quod profecto non magis mirum est quam quod solos fere Stoicos tum a ceteris philosophis meritos esse constat, ut dialectici vocarentur.

Sed ne inanibus rerum vocabulis perscrutandis omnem operam absumamus, libet epistularum licentia uti et paulo liberiore cursu a quaestione ad solum nomen pertinente ad aliam transire, quae ad ipsam rem spectat. Licet acerrime repugnet Antiochus, hic quoque Zeno non vilis et ignavus priorum imitator fuit, sed eis, quae ab aliis accepit, de suo aliquid addidit. Neque singulis partibus aut particulis logicae alio modo contrectandis sese continuit, sed totum habitum disciplinae et tamquam colorem immutavit. Etenim quam antea dialecticam dixerunt, longe alia erat et partim eiusmodi rebus occupata, quas Zeno haud dubie naturali philosophiae parti vindicasse censendus est. Quae autem Aristoteles variis analyticorum, topicorum aliis nominibus distinxerat, ea Zeno tametsi maximam partem in suum usum convertisse putandus est, tamen alio loco posuit aliamque eis naturam ac dignitatem tribuit ita ut non utilia vel adeo necessaria ad cetera discenda iudicaret sed talia quae sola per se et absoluta disciplinam singularem efficerent. Unde magistrorum exemplum aemulati discipuli Peripatetici et Stoici de logicae vel dialecticae vi ac potestate acerrime inter se pugnare consuerunt. Sed haec abunde nota paene pudet commemorasse. Ad alia tamen nos deducunt et ea ad quae nondum quibus harum rerum cura est animos advertisse videantur. Ut enim flumina quo propiora origini sunt eo maiore solent impetu ferri, deinde multo sedatius lapsura, ita inventores rerum notum est inventis suis saepe nimium tribuere, sive certiora ea credunt quam re vera sunt sive ad plura spectare existimant et latius fundi quam ipsa rerum natura concedit. Neque ab hac infirmitate animi Zeno videtur liber fuisse. Cum enim contra Aristotelem niteretur ut demonstraret logicam non ceteris disciplinis cognoscendis inservire sed ipsam per se peculiarem disciplinam exstare, eo videtur logicae liberandae studio progressus esse, ut ex omni eam ceterarum communione solveret neque ullum inter hanc et illas nexum reliquum faceret. Incredibilem rem videor eis narrare, quibus suo iure ars logica ceterarum omnium disciplinarum fundamentum habetur: tamen ut cre-

damus cogi videmur duobus Chrysippi libris quos Diogenes § 201 inter morales rettulit, quibus inscriptum est περὶ τοῦ ἐγκρίνειν τοὺς ἀρχαίους τὴν διαλεκτικὴν σὺν ταῖς ἀποδείξεσι πρὸς Ζήνωνα. Nemo in hunc titulum, quantum equidem sciam, diligentius inquisivit. Ego vero nescio quid aliud significare possit quam Chrysippum his libris adversus Zenonem veteres defendendos suscepisse, qui eodem loco quo demonstrationes quae proprie dicuntur etiam dialecticam habuissent. Veteres intellego non illos Socrate antiquiores veluti Eleaticos, sed vel Platonem vel Aristotelem posteriorum loquendi usu admonitus, qui tamen quin iam Chrysippi aetate obtinuisse putetur nihil impedit. Certe quae de veteribus hic enuntiantur in Platonem et Aristotelem optime quadrant. Platonem enim satis constat in tanto honore habuisse dialecticam, ut omnem inde demonstrandi rationem pendere censeret, Aristoteles vero, etsi satis magno intervallo illam ab hac disiunxit, tamen ne ipse quidem inutilem dialecticam iudicavit ut quae ad firmiorem demonstrandi rationem, quam ille ἀποδεικτικήν appellavit, quodammodo proluderet. Hi igitur dici potuerunt ἐγκρίνειν τὴν διαλεκτικὴν σὺν ταῖς ἀποδείξεσι[1]: quippe qui dialecticam a demonstrationibus eis, quibus veritatis cognitio nititur, non omnino abesse vellent. Alia videtur — probe enim conscius sum quam lubrico solo ingrediar — Zenonis sententia fuisse negantis ullum in singulis disciplinis pertractandis dialecticae locum aut ad veri cognitionem usum esse. At tamen qui id facere potuit, cum si qua veri ex profundo et tenebris eruendi spes est, id nisi concludendi ratione ac via numquam consecuturi simus? Quin etiam ipse Zeno a Cicerone Nat. Deor. II 7, 20 dicitur solitus esse uberiore disputatione evitata breves angustasque conclusiunculas ponere. Concludendi autem quasi arma quaedam ministrare eiusque rei normas et leges constituere quoniam inde ab Aristotele principale logicae munus habebatur, necessario videtur effici ipsum Zenonem logicam sive dialecticam — de hac enim tantum logicae parte, non de rhetorica hic quaeritur — ad singulas quoque disciplinas adhibuisse. Sed vereor ut haec satis certa sint. Existimaverit Zeno dialecticam propositam sibi habere universam concludendi rationem, ita ut eam quoque quae proprie demonstratio (ἀπόδειξις) appellatur non negle-

[1]) Simili modo verbum ἐγκρίνειν accipiendum erit apud eundem Diogenem IX 114: συνεχὲς ἐπιλέγειν εἰώθει (sc. ὁ Τίμων) πρὸς τοὺς τὰς αἰσθήσεις μετ' ἐπιμαρτυροῦντος τοῦ νοῦ ἐγκρίνοντας.

gere posset, maior tamen huius disciplinae pars aliis rebus occupata erat. Nam ne dicam de eis quae non ad cogitandi rationem sed ad sermonis tantum naturam et originem pertinent, ut omittam etiam subtilitates et minutias quibus delectati sunt Stoici non quod arbitrati sint ullam in eis ad ceteras disciplinas utilitatem inesse, sed ut perfectae artis ac disciplinae quasi orbem quendam explerent, obruimur paene magna eorum turba quae quantumvis valeant cum ad examinandas ab omni parte nostras ipsorum sententias tum ad impugnandas et refellendas aliorum, tamen nullius fere pretii sunt ubi ad ipsam rerum veritatem ventum est reconditam adhuc primum in lucem protrahendam. Atque haud scio an hunc examinandi et redarguendi finem primi Stoicorum summum dialecticae propositum crediderint, cum eam definirent (cf. Diog. 42) artem bene disputandi (τοῦ ὀρθῶς διαλέγεσθαι) in interrogando et respondendo conspicuam (περὶ τῶν ἐν ἐρωτήσει καὶ ἀποκρίσει λόγων): qui enim veri et falsi eam scientiam (cf. ib.) dicerent, posteriores videntur fuisse veluti Posidonius, de quo Diogenes 62 id testatur. Iam cum Zeno non id praecipuum ageret, ut aliorum opiniones everteret, sed satis habuisse videatur suam ipsius doctrinam ex principiis explicatam solido fundamento iacto exaedificare, non tam difficile est ad cogitandum dialecticae ista supellectile et nimiis artificiis contemptis eum in solis demonstrationibus acquievisse eis, quas ad ipsam veritatem involucris detegendam (ἐκκαλυπτικάς cf. Prantl hist. art. log. I p. 484) pertinere dicebant, quas ἀποδείξεις vocabant. Quarum exemplum a Cicerone l. l. hoc affertur: quod ratione utitur, id melius est quam id, quod ratione non utitur; nihil autem mundo melius: ratione igitur mundus utitur[1]).

Aliter de hac re Chrysippus iudicavit. Id quod non ex libris tantum quos adversus Zenonem scripsit intellegitur. Nulla enim re ille vir magis inclaruit per antiquitatem quam dialectica cuius tanta in eo fuisse perhibetur vis et subtilitas, ut deos si forte dialectica eis opus fuisset non alia quam Chrysippi usuros esse autumarent. Habuerunt

[1]) Unde insperata lux eis affunditur quae de Zenone M. Fronto ad Verum imperatorem I 1 (p. 114 ed. Naber.) scribit. 'Zeno, inquit, ad docendum planissimus, Socrates ad coarguendum captiosissimus'. Aliud eiusdem est de Chrysippo iudicium in epistula ad M. Antoninum de eloquentia scripta p. 146 sic interrogantis: 'Num contentus est (sc. Chrysippus) docere, rem ostendere, definire, explanare?' Neque quae sequuntur indigna sunt quae legantur.

sane Stoici cur providentiam divinam summis laudibus celebrarent, quae mirum videri possit quanta cura eos prosecuta sit: nam pro diversa temporum condicione diversi ingenii viris scholam istam instruxit ut licet summo periculo imminente numquam ea occumberet sed novis viribus aucta semper recrearetur. Ita cum Zenone mortuo in eo esset ut eius schola ipsius discipulis inter se dissentientibus et audacia maiore adversariis irrumpentibus dilaberetur, Chrysippus exstitit vir haud dubie natura pugnax et acer et qui Academicis se erudiendum traderet eorumque ex officina ea ipsa arma sumeret ad Cleanthem defendendum, quibus ille ab aliis petebatur. Tantopere se in Academicorum consuetudinem insinuavit, ut eorum more de una eademque re in utramque partem disputaret saepiusque legentes incertos et ambigentes quid sequerentur relinqueret. Qui vero tantum dialectica profecit non potuit non plurimi eam aestimare. Quare ut Zeno in id unum intentus ut veritatem indagaret et palam faceret minus curavit quomodo contra adversarios eam firmaret ideoque dialecticam quam singularem disciplinam existimavit in instrumentis ceterarum disciplinarum non habuit, ita Chrysippus, qui ea aetate vixit qua Stoicorum doctrina non novis inventis quibus amplior fieret egeret sed quibusdam quasi tibicinibus quibus vacillantia iam decreta fortius fulcirentur, dialecticam non voluit disciplinam esse quae ut ita dicam solitariam vitam ageret sed quasi penum quandam unde ceterae alerentur et vires sibi novas sumerent. Discessit igitur in hac re ut in aliis permultis a Zenone librumque, de quo dixi, ut se excusaret videtur edidisse. Nam licet summam dialecticae eiusque rationibus vim et dignitatem concesserit, non tamen eandem ei attribuere potuit qua excellit quae ἀποδεικτική vocatur; praeparare igitur dixit opinor dialecticam eam disputationem quae deinde ad verum quod solum propositum habet citatiore gressu perveniat. Qua in re num nimium coniectandi libidini indulgeam quod puto eum ad Aristotelem provocasse, qui eodem modo in quaestionibus tractandis a dialecticis initium ceperit? Aristotelis vero auctoritate Zeno quoque usus videtur ad suam sententiam tuendam, quod ille dialecticam demonstrationibus quae ex propriis uniuscuiusque rei causis procedunt debiliorem ac minus efficacem iudicasset. Eaque si quid video fuit causa cur librum illum Chrysippus non περὶ τοῦ ἐγκρίνειν τὴν διαλεκτικὴν σὺν ταῖς ἀποδείξεσιν in universum inscripsit sed περὶ τοῦ ἐγκρίνειν τοὺς ἀρχαίους etc. Ceterum hinc videre

est quam caute dicere soleat Prantelius eius discriminis quod Aristoteles inter dialecticam et alteram argumentandi rationem statuerat ne vestigium quidem in Stoicorum doctrina ullum remansisse.

Alium praeterea his disputatis fructum auguror, si forte contigerit ut intellegamus quo ordine Chrysippi libri a Diogene vel eius auctore digesti sint. Omnia hic pessum dedit Nicolaorum novissima proles, cum Diogenis incuriam incusare mallet quam suam ipsius levitatem iudicii. Summopere enim offensus est logicis quos vocat libris in moralium librorum indice repertis. Quorum exempla p. 26 haec attulit: περὶ εἰδῶν καὶ γενῶν πρὸς Γοργιππίδην β′, περὶ τῶν ἐννοιῶν πρὸς Λαοδάμαντα β′, περὶ καταλήψεως καὶ ἐπιστήμης καὶ ἀγνοίας δ′, περὶ λόγου β′. Solus titulus est unde argumentum petiit hos libros inter eos referendos esse, qui rationalem philosophiae partem tractent. Quod argumentum quam fallax sit quivis videt. Eodem enim modo omnes fere removeris quos Diogenes in moralium librorum numero posuit eis solis exceptis quorum titulo certum aliquod moralis partis argumentum circumscribatur. Hi vero paucissimi sunt. Qua re moniti qui non ingeniolo suo petulanter confiderent aut se nescire quem ordinem scriptor secutus esset aperte profiteri debebant aut paulum saltem iudicium sustinere, ut rem iterum iterumque perpensitarent. Neque difficile erat intellectu quid Diogenes vel quisquis indicis illius auctor fuit his sibi voluisset. Vide modo quales hic occurrant libri: περὶ τῶν ἐτυμολογικῶν πρὸς Διοκλέα ζ′, ἐτυμολογικῶν πρὸς Διοκλέα δ′, περὶ παροιμιῶν πρὸς Ζηνόδοτον β′, περὶ ποιημάτων πρὸς Φιλομαθῆ α′, περὶ τοῦ πῶς δεῖ τῶν ποιημάτων ἀκούειν β′. In quorum titulis etsi nullum moralis doctrinae vestigium apparet tamen eam ibi tangi potuisse nemo negabit qui reputaverit Aristotelem proverbiis poetarum dictis originatione verborum usum esse ut inde non certa argumenta sed indicia tantum veritatis peteret. Qualia initio ponere solet priusquam propius ad quaestionem solvendam accedat. Iam si de Aristotelis libris hic ageretur nonne prudentissimum iam dudum unusquisque indicis auctorem iudicasset quod priore loco eos libros posuisset qui ceteris recta ad veri cognitionem tendentibus quasi viam pararent? Neque alius generis videntur esse qui praeter eos quos nominavi initio indicis conspiciuntur. Primum locum tenet ὑπογραφὴ τοῦ ἠθικοῦ λόγου moralis partis descriptio generalis: qui liber quam bene locum suum tueatur non opus est explicare. Plures deinde sunt quo-

rum titulo πιθανά vocabulum appositum est, ut etiam caecus qui esset sentire deberet non certam eis ac bene fundatam doctrinam tradi, neque solvi quaestiones sed tantummodo tangi. Neque iam dubium est quid θέσεις illae ἠθικαί sibi velint: apparet enim quaestiones generales hic propositas esse de quibus in utramque partem disputaretur. Ex eis igitur hic liber fuit, qui dialecticum morem tenuerunt. Neque ulla causa impedimur quin similem statuamus eorum condicionem fuisse, qui ὅρων nomine insigniuntur: in quibus conicere licet varias auctorem congessisse definitiones deque eis deinceps ut examinarentur in utramque partem disputasse. Alii libri sunt qui dialectici vocandi sint non propter disputandi viam et rationem quam sequuntur sed propter res quas describunt. Tales sunt ei quos ex moralium numero removere voluerunt veluti περὶ εἰδῶν καὶ γενῶν πρὸς Γοργιππίδην β', περὶ διαιρέσεων α', περὶ ἐναντίων πρὸς Διονύσιον β'. Num his titulis cogimur de libris cogitare qui species genera divisiones contraria in universum sibi tractanda sumpserint? Quin dum alia edoceamur arbitremur oportet catenus illis libris res titulis indicatas tractatas esse quatenus ad moralem philosophiae partem spectant. Eandem vero fidem etiam de ceteris habebimus. Neque inde Peripateticum auctorem indicis fuisse suspicabimur. Bona enim fortuna factum est ut modo intellegeremus Chrysippum voluisse quidem dialecticam disciplinam peculiarem esse et absolutam per se exstare sed ita ut inde aliquid ad ceteras quoque disciplinas redundaret neque tres partes philosophiae a Zenone constitutae inter se omnino dissociatae essent. Itaque non mirum quod in libris eius moralibus tales reperti sunt de quibus ambiguus haereas anne vel propter res quas tractabant vel propter rationem qua id faciebant dialecticis potius accensendi sint. Probe scio rem ad finem deduci non posse nisi ceterae quibus laborat iste librorum index difficultates sublatae sint. De quibus hic verbosus esse nolo; relinquantur haec vel alii tempori vel aliis. Neque vero me nimium mihi arrogasse arbitror, si consecutum me esse credo ut posthac Diogenes vel quisquis Chrysippi librorum indicem confecit non idcirco temeritatis et neglegentiae insimuletur, quod moralibus illius libris dialectici qui videntur immixti sunt. Qui ita censuerunt non attenderant ad Chrysippum cum Zenone de dialectica eiusque vi et utilitate dissentientem. Cui rei ne etiamnum diffidas, eadem contentio quae principes Stoicorum exercuit etiam

alios quorum tamen nomina silentur[1]). Diogenes enim § 40 verbis de partitione philosophiae factis haec addit: καὶ οὐθὲν δὲ μέρος τοῦ ἑτέρου ἀποκεκρίσθαι, καθά τινες αὐτῶν φασιν, ἀλλὰ μεμίχθαι αὐτά· καὶ τὴν παράδοσιν μικτὴν ἐποίουν. Amplius haec non moror etsi libere fateor non omnia me perspicere, sive verba ipsa per se sive proxima specto.

Ad finem iam propero. Et quamquam, HERMANNE SAUPPE, non vereor ne eodem tu odio adversus Stoicos affectus sis quo hodie multi, qui Epicurum eiusque discipulos importunis laudibus ad caelum tollunt, tamen fortasse diutius quam par fuit talibus minutiis te detinui. In quas ipse mihi casu incidisse videbar. Nunc demum apparet quam prudenti id factum sit consilio. Nam quae de arte logica eiusque quam ceteris disciplinis affert utilitate disputavi, ea animo mihi nunc revolventi non potest non in mentem venire eius virtutis qua tu prope singulari ceteris antecellis. Alii enim philologi cum quocumque inclinet animus vel ingenium eo praecipites ferantur neque discrimen norint quo in his quoque litteris quae fieri possunt quae veri similia sunt quae certa denique distinguuntur, severissima tu disciplina coniectandi libidinem omnem coërces et studium veri quam fervidissimum sanis cogitandi legibus adstringis, ita ut si illorum philologia poësi iure comparetur tua ad mathematicae dignitatem adspiret. His congruunt praecepta quibus discipulos tuos instituis. Inter quos et ipse me ad tuum exemplum formare volui: qui quantum consecutus sim omne penes te iudicium esto; laeto tamen et grato animo semper profitebor in his litteris si quid valeo id totum tuum esse.

---

[1]) Inter eos, qui singulas philosophiae partes artissime cohaerere neque disiungi posse existimaverunt, Posidonium fuisse Sexto Empirico credamus oportet adv. dogmat. I 19.

DE ANTIQUISSIMIS NOMINIS HELLENICI SEDIBUS

SCRIPSIT

ULRICUS KOEHLER

Verissime Benedictus Niese in Hermae vol. XII p. 409 sqq. demonstrasse mihi videtur, quod Aristoteles adfirmat Hellenes eosdemque Graecos primum in Epiro consedisse et antiquam Hellada circa Dodonam sitam fuisse, id non fama antiqua niti, sed aetate satis recenti excogitatum esse. Cum autem satis certum sit haud paucos fore, qui pretiosum videlicet historiae priscae fragmentum sibi eripi aegre ferant, adcuratius de aetate et origine famae illius exponere instituam. Niesius enim hanc partem fere intactam reliquit nec in eis, quae significavit, felici ingenio usus est.

Aristotelis verba haec sunt (meteorol. I p. 353ᵃ 27 seqq.): ἀλλὰ πάντων τούτων αἴτιον ὑποληπτέον, ὅτι γίγνεται διὰ χρόνων εἱμαρμένων, οἷον ἐν ταῖς κατ' ἐνιαυτὸν ὥραις χειμών, οὕτω περιόδου τινὸς μεγάλου μέγας χειμὼν καὶ ὑπερβολὴ ὄμβρων. αὕτη δ' οὐκ ἀεὶ κατὰ τοὺς αὐτοὺς τόπους, ἀλλ' ὥσπερ ὁ καλούμενος ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμός· καὶ γὰρ οὗτος περὶ τὸν Ἑλληνικὸν ἐγένετο μάλιστα τόπον, καὶ τούτου περὶ τὴν Ἑλλάδα τὴν ἀρχαίαν. αὕτη δ' ἐστὶν ἡ περὶ Δωδώνην καὶ τὸν Ἀχελῷον· οὗτος γὰρ πολλαχοῦ τὸ ῥεῦμα μεταβέβληκεν· ᾤκουν γὰρ οἱ Σέλλοι ἐνταῦθα καὶ οἱ καλούμενοι τότε μὲν Γραικοὶ νῦν δὲ Ἕλληνες. Aristoteles igitur Deucalionis diluvium circa Dodonam et Acheloum evenisse dicit, ibi enim Sellos et qui tum quidem Graeci, mox Hellenes adpellati essent consedisse. Atque his ultimis quidem verbis memoriam celeberrimorum versuum Iliadis (II 233 sqq.) subesse Niesius haud dubie rectissime statuit. Aristoteles enim Sellos Homericos eiusdem stirpis fuisse atque Hellenes, quos olim

Graecos adpellatos fuisse fama quaedam ferebat, aperte significat. Neque vero eidem Niesio fides habenda est adserenti versibus Homericis Aristotelem inductum esse, ut diluvium Deucalionis et antiquam Hellada ex Thessalia in Epirum transferret. Id enim quominus admittamus, illud maxime impedit, quod antiqua Hellas circa Dodonam et Acheloum sita fuisse ab Aristotele dicitur. Nam Acheloi mentio neque in versibus Iliadis occurrit et difficultatem habet haud parvam, quam Aristoteles removere studet flumen saepius cursum mutasse adfirmans. Aristoteles igitur famam novisse existimandus est, quae referebat diluvium Deucalionis in Epiro accidisse.

Nec desunt sane eius famae vestigia. Niesius ipse haud immemor fuit eorum, quae Plutarchus initio vitae Pyrrhi scripsit: Θεσπρωτῶν καὶ Μολοσσῶν μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἱστοροῦσι Φαέθοντα βασιλεῦσαι πρῶτον, ἕνα τῶν μετὰ Πελασγοῦ παραγενομένων εἰς τὴν Ἤπειρον· ἔνιοι δὲ Δευκαλίωνα καὶ Πύρραν εἱσαμένους τὸ περὶ Δωδώνην ἱερὸν αὐτόθι κατοικεῖν ἐν Μολοσσοῖς. χρόνῳ δὲ ὕστερον Νεοπτόλεμος ὁ Ἀχιλλέως λαὸν ἀγαγὼν αὐτός τε τὴν χώραν κατέσχε κτλ.; sequitur enarratio stirpis regiae Molossorum, de qua mox pluribus dicendum erit. Fuerunt igitur, qui crederent Deucalionem post diluvium in Epiro regnasse. Et nisi fallor etiam illud magna certe cum probabilitate dici potest, unde Plutarchus, quae de sacro Dodonaeo a Deucalione condito refert, acceperit. Niesium enim fugisse videntur, quae cum alibi tum in etymologico magno referuntur s. v. Δωδωναῖος . . Δευκαλίων μετὰ τὸν ἐπ' αὐτοῦ γενόμενον κατακλυσμὸν παραγενόμενος εἰς τὴν Ἤπειρον ἐμαντεύετο ἐν τῇ δρυΐ. πελιάδος δὲ χρησμὸν αὐτῷ δούσης κατοικίζει τὸν τόπον συναθροίσας τοὺς περιλειφθέντας ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ . . ἡ ἱστορία παρὰ Θρασυβούλῳ καὶ Ἀκεστοδώρῳ. Cf. Steph. Byz. s. v. Δωδώνη et quae collegit Carolus Mueller fr. hist. Gr. II p. 463 sqq. Iam Acestodori librum, quem inscripsit περὶ πόλεων, a Plutarcho lectum esse ex eis, quae in vita Themistoclis c. XIV inde sumpsit, concluditur. Itaque mihi quidem dubium non est, quin ea, quae initio vitae Pyrrhi de exordiis oraculi Dodonaei refert, ex eodem Acestodori libro adsciverit. Ac nemo sane facile putabit Acestodorum Megalopolitanum, qui librum περὶ πόλεων composuit (Steph. Byz. s. v. Μεγαλόπολις), Aristotelem aetate superare — de Thrasybuli autem aetate non magis constat quam de Acestodori nec liber eius quomodo inscriptus fuerit novimus. Nec vero magis Acestodorum in eis, quae de

origine oraculi Dodonaei prodidit, Aristotelis vestigia persecutum esse manifestum est. Immo uterque eandem famam secutus sit necesse est, quam in Epiro et, ut adcuratius loquar, inter Dodonaeos ortam esse probabile est.

Hanc vero fabulam saeculo quinto exeunte non antiquiorem esse ea maxime probant, quae Herodotus II 55 sqq. de origine oraculi Dodonaei a sacerdotibus Dodonaeis accepta dubitanter refert. Neque enim vir novi et veri curiosus reticuisset, si aut Dodonae aut aliunde comperisset esse qui oraculi originem ad Deucalionem referrent, quem in Phthiotide regnasse lib. I 56 diserte tradit. Clarius, ni fallor, et quando et unde fabula de sedibus Epiroticis Deucalionis et Hellenum orta sit, adparebit, si adcuratius examinaverimus, quae de stirpe regia Molossorum traduntur.

Stemmatis regii Molossorum tria ad nos pervenerunt exemplaria, quorum primum Plutarchus praemisit vitae Pyrrhi, alterum ex Trogi Pompeii historiis Philippicis excerpsit Iustinus (XVII 3), tertium libro suo inseruit Pausanias (I 11). Nam quae in schol. ad Eur. Androm. 24 et 32 leguntur sciens praetermitto. Horum trium exemplorum primum et alterum ita inter se concinunt, ut, etiamsi in levioribus quibusdam rebus differre videantur, tamen ad eundem auctorem ea referenda esse facile tibi persuadeas. Plutarchus enim, postquam breviter significavit de oraculo Dodonaeo secundum quosdam auctores a Deucalione condito, sic pergit: χρόνῳ δὲ ὕστερον Νεοπτόλεμος ὁ Ἀχιλλέως λαὸν ἀγαγὼν αὐτός τε τὴν χώραν κατέσχε καὶ διαδοχὴν βασιλέων ἀφ' αὐτοῦ κατέλιπε Πυρρίδας ἐπικαλουμένους· καὶ γὰρ αὐτῷ Πύρρου ἦν παιδικὸν ἐπωνύμιον καὶ τῶν γνησίων παίδων ἐκ Λανάσσης τῆς Κλεοδαίου τοῦ Ὕλλου γενομένων ἕνα Πύρρον ὠνόμασεν. ἐκ τούτου δὲ καὶ Ἀχιλλεὺς ἐν Ἠπείρῳ τιμὰς ἰσοθέους ἔσχεν Ἄσπετος ἐπιχωρίῳ φωνῇ προσαγορευόμενος. μετὰ δὲ τοὺς πρώτους, τῶν διὰ μέσου βασιλέων ἐκβαρβαρωθέντων καὶ γενομένων τῇ τε δυνάμει καὶ τοῖς βίοις ἀμαυροτέρων, Θαρρύπαν πρῶτον ἱστοροῦσιν Ἑλληνικοῖς ἔθεσι καὶ γράμμασι καὶ νόμοις φιλανθρώποις διακοσμήσαντα τὰς πόλεις ὀνομαστὸν γενέσθαι. Θαρρύπου δὲ Ἀλκέτας υἱὸς ἦν κτλ. Ab his Iustinus ea re maxime discrepat, quod principem domus regiae Molossorum eundemque Achillis filium Pyrrhum nominat, cui filium Pialem in regno successisse refert. Pausanias vero Lanassae mentione omissa Pyrrhum, Achillis filium, cum vaticiniis Heleni, Priami filii, obsecutus in Epiro regnum con-

6

didisset, ex Andromache, quam in divisione praedae Troianae ei cessisse etiam Iustinus memorat, tres filios sustulisse narrat, Molossum Pielum Pergamum. Ex his primum Molossum patri in regno successisse, mox Pielum, a quo reges Molossorum originem duxerint. Accedit igitur quodammodo ad ea, quae Euripides in tragoedia Andromachae nomine inscripta protulit. In hac enim fabula poeta Molossum, Neoptolemi ex Andromache filium, patre Delphis occiso cum matre in Epirum migrasse ibique regnum condidisse significat.

Vix opus est, ut pluribus demonstretur in eis, quae de stemmate Pyrrhidarum traduntur, duas fabulas, genuinam alteram et quasi domesticam, alteram adventiciam et e poesi Graeca ductam coniunctas et confusas esse eo quidem consilio, ut origo Hellenica generis contra communem Graecorum opinionem praeclaro exemplo probaretur. Rem significavit Niebuhrius (*Vorträge über alte Geschichte herausgeg. von M. Niebuhr* III p. 167 sq.), qui utrum in rebus Romanis an Graecis feliciore usus sit acumine, dubitari posse puto; sed paullo adcuratius eam hoc loco persequi operae pretium erit. Pyrrhidae enim initio genus a Pyrrho et Lanassa, Herculis nepte, ducebant, quam fama fuit a Pyrrho in templo Iovis Dodonaei raptam esse (Iustin. l. c.). Pyrrhum Molossi pro filio Aspeti, herois indigeni, habuisse videntur. Fabulae autem, quae ad cyclum Troianum pertinent, ut in Epirum transferrentur, primus auctor fuisse videtur poeta Nostorum. Is enim Neoptolemum post excidium Troiae in Molossiam migrasse ibique regnum condidisse finxit, quod argumentum postea a poetis Graecis varie tractatum et auctum est: cf. quae collegit Boeckhius ad Pind. Nem. VII vs. 36 sqq. Atque non omnino negaverim equidem fieri posse, ut iam saeculo quinto reges Molossorum sese ex stirpe Achillis oriundos esse aliquando praedicaverint; in stemmatis vero formam hanc fabulam redactam esse, postquam Tharrhypas, quem Athenis educatum esse Iustinus refert, ad regnum pervenit et Molossos ex barbarie ad cultos Graecorum mores traducere coepit, satis certum esse puto. Tharrhypam autem anno a. Ch. n. 429 etiamtum natu minorem fuisse constat (Thuc. II 80). Ac prior quidem stemmatis forma haec fuisse debet, ut Pyrrhus Pyrrhidarum princeps Neoptolemi filius fuisse perhiberetur. Expressit eam Strabo VII p. 326, qui Ephorum secutus esse videtur; eiusdem vestigia adparent in eis, quae Plutarchus de Pyrrhidarum stemmate exposuit. Mox autem stem-

matis ordo ita inmutatus est, ut Pyrrhus a Neoptolemo non diversus haberetur. Pausanias sane se in Cypriis legisse refert Achillis filio a Phoenice Neoptolemi, a Lycomede Pyrrhi nomen inditum esse (X 26, 4); sed valde dubito, num haec per se satis mira in antiquis carminis illius exemplaribus inventa sint. Ex eis autem, quae Hesychius s. v. πυρριχίζειν habet, Archilochum poetam Achillis filium Pyrrhum adpellasse conligi omnino non potest. Novum Pyrrhidarum stemma a Theopompo expressum esse fragmentum eius historici demonstrat, quod servavit Tzetzes ad Lycophr. 1439: ἡ γὰρ μήτηρ τοῦ Ἀλεξάνδρου ἡ Ὀλυμπιὰς εἰς Πύρρον τὸν Ἀχιλλέως καὶ Ἕλενον τὸν Πριάμου τὸ γένος ἀνέκαθεν ἀνέφερεν ὥς φησι Θεόπομπος καὶ Πύρανδρος. Quod fragmentum etiam eam ob causam memorabile est, quia Olympiadis mater — de patre enim dubium esse non potest — ex Heleno originem duxisse dicitur. Helenum enim Pausanias I 11 refert ex Andromache filium Cestrinum sustulisse eumque patre mortuo trans Thyamin flumen, quae Chaoniae pars Cestrine adpellata fuit, regnum condidisse. Satis probabiliter igitur colligi posse puto Chaonum genus regium (τὸ ἀρχικὸν γένος Thuc. II 80) Pyrrhidarum exemplum imitatum originem ab Heleno, quem cum Neoptolemo in Epirum venisse fama tulit, deduxisse, Olympiadem autem, cuius de origine alibi quantum sciam nihil traditum est, ex hoc genere oriundam fuisse.

Fabulam, quae est de sacro Dodonaeo a Deucalione post diluvium condito, circa initia saeculi quarti ortam esse dico, quo tempore is erat in Molossis animorum motus et impetus, ut Hellenes et haberi et esse utique vellent. Dodonam per saeculum quintum etiamtum Thesprotiae fuisse videri notavit Strabo (VII 326); eandem altera parte saeculi quarti ad Molossorum regnum pertinuisse certo novimus. Templum, cum Tharrhypas apud Molossos rerum potiretur, ab eo cum regno coniunctum esse aut, quod magis placet, sacerdotes tempore prudenter usos ipsos ad regem rerum Graecarum studiosum accessisse puto. Tunc etiam fabulam illam de origine templi fictam esse oportet, quam Aristoteles eo magis arripuit, quia inter Hellenes et Sellos adfinitatem quandam intercedere, qua ea confirmaretur, perspexisse sibi visus est. Nec hoc mirum esse videri debet; egregie enim falluntur, qui Aristotelis in rebus antiquissimis eandem auctoritatem esse putant atque in rebus saeculi quarti vel quinti. Acheloum denique, cuius mentionem Aristo-

teles cum diluvio coniungit, Dodonae cultum sollemnem habuisse fragmentum Ephori docet, quod servavit Macrobius saturn. V 18, ut facile tibi persuadeas nomen eius in fabulam de origine templi quocumque modo insertum esse.

De Γραικῶν nomine pauca adiciam. Rectissime enim Niesius demonstrasse videtur nomen illud non magis cum Epiro coniunctum esse, quae fere opinio virorum doctorum fuit, quam cum nomine Hellenico. Fuerunt inter rerum scriptores aetatis recentioris, qui Hellenes, antequam hoc nomen a filio Deucalionis accepissent, Γραικούς adpellatos fuisse vellent. Horum qui Deucalionem in Thessalia consedisse putabant, necessario sedes τῶν Γραικῶν in eadem regione collocabant. Res satis perspicua esse mihi videtur. Scilicet historici saeculi quinti ante Hellenicum nomen Pelasgicum per Graeciam dominatum esse adfirmarunt, Deucalion cum suis cuius gentis fuissent vel quo nomine adpellati essent, homines doctrinae simplicis et rudis quaerere non curarunt. Hanc lacunam scriptores saeculi quarti, viri docti et ingenii subtilioris, ut par erat explere studuerunt. Deucalionem enim ex Pelasgis fuisse, qui ex omnium opinione barbari fuerant, nullo modo admitti poterat. Igitur Γραικούς fuisse, qui postea Hellenes adpellati essent, dixerunt. De origine nominis autem si quaeritur, verisimillimum me habere fateor nomen a primo doctrinae novae auctore, quisquis ille fuit, — nam hoc quaerere nunc supersedeo, — ex sermone Latino esse ascitum.

HIERONYMI RHODII PERIPATETICI FRAGMENTA

COLLEGIT ET ADNOTAVIT

EDUARDUS HILLER

Hieronymus Rhodius Athenas transmigravit ibique peripateticorum sectae se addixit, exemplum secutus duorum popularium Eudemi et Praxiphanis, quorum alter Aristotelis, alter Theophrasti disciplina usus erat. Strabo XIV p. 655 ἄνδρες δ' ἐγένοντο (in insula Rhodo) μνήμης ἄξιοι πολλοὶ στρατηλάται κτλ., τῶν δὲ πολιτικῶν καὶ τῶν περὶ λόγους καὶ φιλοσοφίας ὅ τε Παναίτιος αὐτὸς καὶ Στρατοκλῆς καὶ Ἀνδρόνικος ὁ ἐκ τῶν περιπάτων καὶ Λεωνίδης ὁ στωικός, ἔτι δὲ πρότερον Πραξιφάνης καὶ Ἱερώνυμος καὶ Εὔδημος. Scholam Hieronymus Athenis habuit eodem tempore quo Arcesilaus; scimus autem Cratetem, cui Arcesilaus successit, ol. CXXVII 3 Academiae principatum accepisse, Arcesilaum ipsum quinque et septuaginta annos natum ol. CXXX 4 esse mortuum. Laert. Diog. IV 40 sqq. φιλομειράκιός τε ἦν (Arcesilaus) καὶ καταφερής· ὅθεν οἱ περὶ Ἀρίστωνα τὸν Χῖον στωικοὶ ἐπεκάλουν αὐτῷ, φθορέα τῶν νέων καὶ κιναιδολόγον καὶ θρασὺν ἀποκαλοῦντες. καὶ γὰρ δὴ καὶ Δημητρίου τοῦ πλεύσαντος εἰς Κυρήνην ἐπὶ πλέον ἐρασθῆναι λέγεται κτλ. διὰ ταῦτα δὴ οὖν ἔδακνόν τε αὐτὸν οἱ προειρημένοι καὶ ἐπέσκωπτον ὡς φίλοχλον καὶ φιλόδοξον· μάλιστα δὲ ἐπετίθεντο αὐτῷ οἱ περὶ Ἱερώνυμον τὸν περιπατητικόν (ita codd. Stephani et Cobetus, ἐπετ. αὐτῷ παρὰ [περὶ Vat.] Ἱερωνύμῳ τῷ περιπατητικῷ codd. Vat. 1302, Laur. plut. 69, 35, Monac. ut videtur, ed. pr.), ὁπότε συνάγοι τοὺς φίλους εἰς τὴν Ἁλκυονέως τοῦ Ἀντιγόνου υἱοῦ ἡμέραν, εἰς ἣν ἱκανὰ χρήματα ἀπέστειλεν (ἀπέστελλεν Cob.) Ἀντίγονος πρὸς ἀπόλαυσιν (cf. Chr. Petersen, *Jahrb. f. class. Philol.* Suppl. II p. 310 sqq.). ἔνθα καὶ παραιτούμενος ἑκάστοτε τὰς ἐπικυλικίους ἐξηγήσεις πρὸς Ἀρίδηλον (Ἀρίδικον coni. Kuehnius

propter Ath. X p. 420 D, fort. recte) προτείνοντά τι θεώρημα καὶ ἀξιοῦντα εἰς αὐτὸ λέγειν εἶπεν· 'ἀλλ' αὐτὸ τοῦτο μάλιστα φιλοσοφίας ἴδιον, τὸ τὸν καιρὸν ἑκάστων ἐπίστασθαι'. — οὐ μὴν ἀλλ' οὕτως ἄτυφος ἦν ὥστε τοῖς μαθηταῖς παρῄνει καὶ ἄλλων ἀκούειν. καί τινος Χίου νεανίσκου μὴ εὐαρεστουμένου τῇ διατριβῇ αὐτοῦ, ἀλλ' Ἱερωνύμου τοῦ προειρημένου, αὐτὸς ἀπαγαγὼν συνέστησε τῷ φιλοσόφῳ, παραινέσας εὐτακτεῖν. V 68 οὕτω δ' ἦν ἐχθρὸς (Lyco) Ἱερωνύμῳ τῷ περιπατητικῷ, ὡς μόνος μὴ ἀπαντᾶν πρὸς αὐτὸν εἰς τὴν ἐτησίαν ἡμέραν, περὶ ἧς ἐν τῷ Ἀρκεσιλάου βίῳ διειλέγμεθα. IX 112 (cf. Wachsmuth de Timone Phliasio p. 7) ὁ δ' οὖν φιλόσοφος (Timo) καὶ φιλόκηπος ἦν σφόδρα καὶ ἰδιοπράγμων, ὡς καὶ Ἀντίγονός φησι. λόγος γοῦν εἰπεῖν Ἱερώνυμον τὸν περιπατητικὸν ἐπ' αὐτοῦ· 'ὡς παρὰ τοῖς Σκύθαις καὶ οἱ φεύγοντες τοξεύουσι καὶ οἱ διώκοντες, οὕτω τῶν φιλοσόφων οἱ μὲν διώκοντες θηρῶσι τοὺς μαθητάς, οἱ δὲ φεύγοντες, καθάπερ καὶ ὁ Τίμων'. Haec omnia congruunt cum Arcesilai temporibus: nam Halcyoneus in pugna cecidit ante mortem patris, qui pergrandis natu anno 243 obiit (Usener, *Rhein. Mus.* XXIX p. 37); Lyco successit in locum Stratonis ol. CXXVII., principatum scholae tenuit per annos quadraginta quattuor, mortuus est annos natus quattuor et septuaginta; Timo autem anno circiter 230 vel paulo antea obiisse videtur, postquam vitam per nonaginta annos degit. Perversa vero Zumptii est opinio (*über den Bestand der philos. Schulen in Athen* p. 68), qui Hieronymum peripateticum tribus illis quos exscripsi locis a Laertio commemoratum diversum esse putavit ab eo quem Rhodi natum scriptisque clarum fuisse constat. Quod Laertius illis locis Hieronymum peripateticum dicit, omittit autem hanc appellationem ubi Rhodii testimoniis utitur, id nullius momenti est, quoniam Rhodium peripateticum fuisse inter omnes constat. Neque alterum argumentum quo Zumptius usus est comprobari potest. Propterea enim Rhodium posteriori tempori assignandum censuit quam Arcesilaum et Lyconem, quia Hieronymus Rhodius post Aristonem Ceum commemoratur et apud Ciceronem de fin. V 5, 14 (fragm. XI 9) et in Aristotelis vita Menagiana ubi haec leguntur: διάδοχοι δ' αὐτοῦ τῆς σχολῆς κατὰ τάξιν ἐγένοντο οἵδε· Θεόφραστος Στράτων Πραξιτέλης Λύκων Ἀρίστων Λυκίσκος Πραξιφάνης Ἱερώνυμος Πρύτανις Φορμίων Κριτόλαος (vitarum scriptt. ed. Westermann p. 402. Preller *ausgew. Aufs.* p. 98, 9). At Ciceronem in Hieronymi mentione facienda temporum rationes accurate observasse ut statuamus nihil nos cogit; in enumeratione autem peripa-

teticorum quae inest in vita Menagiana eorum tantum ordinem diligenter servatum videmus qui Aristotelem et Theophrastum in regimine Lycei secuti sunt: minus accurate nomina eorum, qui sicut Hieronymus separatim scholas habuerunt, ceteris esse interposita non est cur miremur. Facile etiam Athenaei error explicari potest, qui cum peripateticum fuisse Hieronymum notum esset Aristotelis discipulum eum neglegentius appellavit (fragm. III). Ita enim recte de hac re statuisse mihi videtur Ionsius (de scriptt. hist. philos. II 3, 6), neque Luzacio assentior Ἀριστοξένου pro Ἀριστοτέλους apud Athenaeum legendum esse suspicanti (lectt. Att. p. 199), praesertim cum philosophiae Aristoxeneae alumnos fuisse nullo quod sciam testimonio confirmetur; prorsus autem futilia esse quae Luzacius attulit ut Aristoxenum et Hieronymum idem philosophandi genus habuisse ostenderet (p. 211—215), facile intellegitur. — Impugnata esse videntur Hieronymi placita a Zenone Tarsensi, ut probabiliter coniecit Comparettius (*Papiro Ercol. ined.* p. 76, col. 48 καὶ πέντε πρὸς Ἱερώ⟨νυ⟩μ⟨ον⟩ καὶ Φ. . . .).

Librorum autem Hieronymi inscriptiones quas novimus sunt περὶ ἐποχῆς (fr. I), περὶ μέθης (fr. II. III), περὶ ποιητῶν (fr. IV. V), ὑπομνήματα (fr. VI—IX), ἐπιστολαί (fr. X, cf. adn.). In libro *de retinendo assensu* Arcesilai placita Hieronymus oppugnasse censendus est: v. Luzac p. 210. *De ebrietate* ante eum scripserant Aristoteles eiusque discipuli Theophrastus et Chamaeleo (cf. Koepke de Chamael. vita librorumque rell. p. 42). Hi omnes in tractando argumento fere conspirasse videntur: illustrabant praecepta ad usum vini spectantia exemplis ex historia petitis variisque morum descriptionibus ac poetarum locis. Cf. Koepke p. 39 sqq. Rose Aristot. pseudepigr. p. 116. Scriptorem librorum *de poetis*, cuius patria non indicatur, Hieronymum Cardianum fuisse sententia est Volkmanni ad Plut. de mus. p. 59; sed recte iam Ionsius ad Rhodium eos rettulit, cuius studiorum generi argumentum illud optime convenit. De hac quoque materia iam ante Hieronymum complures peripatetici praeeunte magistro peculiaribus operibus disputaverant: v. Koepke p. 10 sqq. Rose p. 80. Hieronymus pluribus voluminibus eam tractavit, e quibus quintum inscriptum fuit περὶ κιθαρῳδῶν, aliud περὶ τραγῳδοποιῶν (cf. Fabricius Bibl. Gr. II p. 306 ed. Harles), ubi etiam de singulis tragicorum fabulis eum disseruisse fr. V docet. *Hypomnematum* Hieronymi duas novimus appellatio-

nes; bis enim ab Athenaeo commemorantur Hieronymi ἱστορικὰ ὑπομνήματα (fr. VI. VII), bis a Laertio τῶν σποράδην ὑπομνημάτων τὸ β′ (fr. IX. X): pertinent autem Athenaei loci ad Sophoclis et Euripidis amores, Laertii ad historiam philosophorum. His titulis unum idemque opus significari coniectura est haud improbabilis illa quidem, minime tamen certa; quid enim obstat quo minus Hieronymum duas rerum memorabilium collectiones diversis titulis inscripsisse putemus? Cf. Luzac p. 228. Clinton Fast. Hell. III p. 19. Mueller fragm. hist. Gr. II p. 271. Maiore etiam cum inscriptionum varietate Aristoxeni hypomnemata citantur; laudatum enim invenimus Ἀριστόξενον ἐν τοῖς ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν, ἐν τοῖς σποράδην, ἔν τινι τῶν συμμίκτων ὑπομνημάτων, ἐν τοῖς κατὰ βραχὺ ὑπομνήμασιν. Fuit praeterea aliud opus hypomnematum historicorum nomine inscriptum cuius auctor utrum Aristoteles an Theophrastus esset dubitabatur; incertissima autem memoria est hypomnematum historicorum quae Theodectes minor composuisse perhibetur: cf. Mueller p. 369. Disseruit de hoc scribendi genere quo varias rerum historicarum narrationes conscribere solebant homines eruditi Koepkius de hypomn. Gr. I p. 10 sqq. Quae σποράδην appellabantur hypomnemata certo ordine atque conexu caruisse ex ipsa hac significatione apparet; neque enim recte eam interpretatus est Casaubonus ad Laert. Diog. I 26. Epistulas denique varii generis atque argumenti ex antiquioribus peripateticis composuerant Theophrastus, Dicaearchus, Lynceus, Strato; collectionem epistularum Aristoteli adscriptarum instituit Artemo. Apparet igitur quod ad genera librorum attinet Hieronymum fere secutum esse antiquiorum peripateticorum exemplum. Ceterum quin etiam alia praeter ea quorum titulos novimus ab eo edita sint scripta, dubitari nequit. Sermones inter convivium habitos cum exposuisse Plutarchus auctor est disp. conv. prooem. p. 612: ἐπεὶ δὲ καὶ σοὶ δοκεῖ τῶν μὲν ἀτόπων ἡ λήθη τῷ ὄντι σοφὴ κατ' Εὐριπίδην εἶναι, τὸ δὲ ὅλως ἀμνημονεῖν τῶν ἐν οἴνῳ μὴ μόνον τῷ φιλοποιῷ λεγομένῳ μάχεσθαι τῆς τραπέζης, ἀλλὰ καὶ τῶν φιλοσόφων τοὺς ἐλλογιμωτάτους ἀντιμαρτυροῦντας ἔχειν, Πλάτωνα καὶ Ξενοφῶντα καὶ Ἀριστοτέλην καὶ Σπεύσιππον Ἐπίκουρόν τε καὶ Πρύτανιν καὶ Ἱερώνυμον καὶ Δίωνα τὸν ἐξ Ἀκαδημείας, ὡς ἄξιόν τινος σπουδῆς πεποιημένους ἔργον, ἀναγράψασθαι λόγους παρὰ πότον γενομένους κτλ. Itaque librum συμποσίου nomine inscriptum ab Hieronymo editum esse probabiliter potest statui; cf. Schmidt Didymi fragm. p. 368. Quos libros ab aliis compositos Hieronymus in

usum suum converterit, nonnumquam cognoscere vel suspicari licet: veluti usum eum esse Platonis de republica libris concludendum videtur ex fr. XVIII, Aristotelis Politicis ex fr. XX (cf. Zeller *die Philos. der Griechen* II 2 ³ p. 151), Theophrasti et Chamaeleontis libris de ebrietate ex fr. II et III (cf. fr. X), Aristoxeni vita Socratis ex fr. XXV, Heraclidis Pontici libro de rebus amatoriis ex fr. XVII. Fragm. XII cum verbis Epicuri congruisse Cicero diserte testatur.

De philosophia Hieronymi praeter notissimam illam quam de summo bono proposuit sententiam (fr. XI) nihil quod alicuius momenti sit nobis traditum est. De narrationibus vero ab eo prolatis quid iudicandum quantaque fides atque auctoritas ei sit tribuenda, satis constat (cf. Luzac p. 220 sqq.). Sobrium in tractanda historia iudicium sincerumque veritatis studium omnino rarum fuit in illo scriptorum genere; Hieronymum vero ne a mendaciis quidem impudentissimis abhorruisse mihi certe propter fr. XXV persuasum est. Malitia autem hominis ex eo perspicitur, quod in Phaedonem ob servilem quam ille ex captivitate perpessus erat condicionem probra ingerere non est veritus (fr. I). Itaque tenendum est, fidem perexiguam habere quaecumque unius Hieronymi testimonio nituntur. Ceterum doctum et suavem Cicero eum appellat (fr. XI 9) egregieque Graece locutum esse adfirmat (fr. XI 3), neque est cur scribendi genere satis lepido ac iucundo Hieronymum usum variaque eruditione instructum fuisse negemus; nam Dionysii Halicarnassensis reprehensionem (de compos. verb. 38), quam ad Hieronymum Rhodium prave rettulit Grosius (Philod. Rhet. p. LVI), ad Cardianum spectare nemo non videt.

Ex posterioribus peripateticis Satyrum libros Hieronymi saepius exscripsisse probabile est: v. Luzac p. 194, 1. A Cicerone eum Hieronymi commentarium ubi de Isocrate disputatum fuit lectum esse elucet ex fr. XXX; cf. Zeller p. 925, 4. Plutarcho nota erant ea quae eleganter et utiliter, ut ei videbatur, de ira Hieronymus perscripserat (fr. XIV, cf. fr. XIII. XV). Athenaeus vero eum librum ubi de Socratis uxoribus Hieronymus disseruerat — exposuisse autem hac de re videtur in altero hypomnematum libro — se non vidisse confitetur (fr. XXVI 2).

In disponendis Hieronymi reliquiis hanc rationem secutus sum, ut priore loco eas ponerem quae additis librorum titulis nobis servatae sunt (fr. I—X), posteriore eas quae unde sumptae sint non commemoratur,

ac primum quidem ea fragmenta quorum argumentum ad philosophiam et ad quaestiones naturales pertinet (fr XI—XX), deinde eos locos quibus de philosophis disseritur (fr. XXI—XXVI), tum reliqua ad historiam litterarum pertinentia (fr. XXVII—XXX), postremo varia nonnulla (fr. XXXI—XXXV). Singula fragmenta certis operibus plerumque non nisi incertissimis coniecturis possunt attribui; id tamen veri simile videtur, illa quoque quae praeter fr. VIII et IX de philosophis apud Laertium Diogenem ex Hieronymo referuntur (fr. XXI—XXVI) ex altero libro τῶν σποράδην ὑπομνημάτων esse hausta (Clinton l. c.). Praeterea hypomnematum libris Ionsius assignavit fragm. XVII, quod Wolffius levissimo argumento usus ad epistulas rettulit, et fr. XXXIV, Luenznerus fr. XX, Ritterus fr. XXVIII, Piderítus (Cic. Or.[2] p. 172) fr. XXX, quod ex libro aliquo de arte rhetorica vel metrica petitum esse Zellerus (p. 924, 3) arbitratur, Schweighaeuserus fr. XXXII; fragm. XXVII autem ad libros de poetis melicis et scaenicis pertinere bene perspexit Harles (ad Fabric. Bibl. Gr. III p. 496).

I. Laert. II 105 Φαίδων Ἠλεῖος, τῶν εὐπατριδῶν, συνεάλω τῇ πατρίδι καὶ ἠναγκάσθη στῆναι ἐπ' οἰκήματος· ἀλλὰ τὸ θύριον προστιθεὶς μετεῖχε Σωκράτους, ἕως αὐτὸν λυτρώσασθαι τοὺς περὶ Ἀλκιβιάδην ἢ Κρίτωνα προὔτρεψε· καὶ τοὐντεῦθεν ἐλευθερίως ἐφιλοσόφει. Ἱερώνυμος δ' ἐν τῷ περὶ ἐποχῆς καθαπτόμενος δοῦλον αὐτὸν εἴρηκε.

Cf. Preller *ausgew. Aufs.* p. 364. 367 sq. Zeller *die Philos. der Griechen* II 1[3] p. 236.

II. Ath. XI p. 499 F τὸ δὲ σκύφος ὠνομάσθη ἀπὸ τῆς σκαφίδος κτλ. εἰ μὴ σκύφος οἷον σκύθος τις, διὰ τὸ τοὺς Σκύθας περαιτέρω τοῦ δέοντος μεθύσκεσθαι· Ἱερώνυμος δὲ ὁ Ῥόδιος ἐν τῷ περὶ μέθης καὶ τὸ μεθύσαι σκυθίσαι (an λέγεσθαι addendum?) φησί· συγγενὲς γὰρ εἶναι τῷ φ τὸ θ.

Cf. Herodotus VI 84 Κλεομένεα δὲ λέγουσι ἡκόντων τῶν Σκυθέων ἐπὶ ταῦτα ὁμιλέειν σφι μεζόνως, ὁμιλέοντα δὲ μᾶλλον τοῦ ἱκνεομένου μαθεῖν τὴν ἀκρητοποσίην παρ' αὐτῶν· ἐκ τούτου δὲ μανῆναί μιν νομίζουσι Σπαρτιῆται. ἔκ τε τόσου, ὡς αὐτοὶ λέγουσι, ἐπεὰν ζωρότερον βούλωνται πιεῖν, 'ἐπισκύθισον' λέγουσι. Ath. X p. 427 B καὶ Λακεδαιμόνιοι δ', ὥς φησιν Ἡρόδοτος ἐν τῇ ἕκτῃ, Κλεομένη τὸν βασιλέα Σκύθαις ὁμιλήσαντα καὶ ἀκρατοπότην γενόμενον ἐκ τῆς μέθης φασὶ μανῆναι. καὶ αὐτοὶ δ' οἱ Λάκωνες,

ὅταν βούλωνται ἀκρατέστερον πίνειν, ἐπισκυθίσαι λέγουσι. Χαμαιλέων γοῦν ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ περὶ μέθης περὶ τούτων οὕτως γράφει· 'ἐπεὶ καὶ Κλεομένη τὸν Σπαρτιάτην φασὶν οἱ Λάκωνες μανῆναι, διὰ τὸ Σκύθαις ὁμιλήσαντα μαθεῖν ἀκρατοποτεῖν. ὅθεν ὅταν βούλωνται πιεῖν ἀκρατέστερον, ἐπισκύθισον λέγουσιν'. In hac narratione apparet ἐπισκύθισον idem valere quod ἐπίχεον Σκυθιστί. Hieronymus autem inde conclusisse videtur, σκυθίσαι usurpari posse pro μεθύσαι, cuius usus exemplum non novi. (σκυθίζειν legitur significatione non addita apud Steph. Byz. s. v. Σκύθαι.) Propter infinitivum εἶναι ab Athenaeo positum Hieronymo tribuenda videtur etiam absurda illa vocis σκύφος a σκύθος derivatio, qua fortasse usus est Parmeno sive Parmenio, homo nisi fallor nugacissimus: Ath. XI p. 500 B καλεῖται δ' ὁ σκύφος ὑπὸ Ἠπειρωτῶν, ὥς φησι Σέλευκος, λυρτός, ὑπὸ δὲ Μηθυμναίων, ὡς Παρμένων φησὶν ἐν τῷ περὶ διαλέκτου, σκύθος. Cf. schol. Il. A 591 Παρμενίων ὁ γλωσσογράφος φησὶν Ἀχαιοὺς καὶ Δρύοπας καλεῖν τὸν οὐρανὸν βηλόν. Graefenhahn *Gesch. der klass. Philol. im Alt.* III p. 202. Cf. Meineke anal. Alex. p. 283.

III. Ath. X p. 424 E καὶ Εὐριπίδης ὁ ποιητὴς ἐν παισὶν ᾠνοχόησε. Θεόφραστος γοῦν ἐν τῷ περὶ μέθης φησί· 'πυνθάνομαι δ' ἔγωγε καὶ Εὐριπίδην τὸν ποιητὴν οἰνοχοεῖν Ἀθήνησι τοῖς ὀρχησταῖς καλουμένοις. ὠρχοῦντο δ' οὗτοι περὶ τὸν τοῦ Ἀπόλλωνος νεὼν τοῦ Δηλίου τῶν πρώτων ὄντες Ἀθηναίων, καὶ ἐνεδύοντο ἱμάτια τῶν Θηραϊκῶν (cf. Valckenaer de Aristob. p. 116). ὁ δὲ Ἀπόλλων οὗτός ἐστιν ᾧ τὰ Θαργήλια ἄγουσι (cf. Hermann *gottesdienstl. Alterth. der Gr.* § 60, 16. Schoemann *griech. Alterth.* II³ p. 456, 7). καὶ διασώζεται Φλυῆσιν (ita em. Valckenaer, Φύλησιν ut vid. codex Marcianus) ἐν τῷ δαφνηφορείῳ γραφὴ περὶ τούτων'. τὰ αὐτὰ ἱστορεῖ καὶ Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος, Ἀριστοτέλους ὢν μαθητής, καὶ οὗτος ἐν τῷ περὶ μέθης.

Cf. Nauck Eurip. trag. I³ p. XII. Spanhemius Theophrasti verba ita accepit, quasi Thargeliis nobiles illi adulescentes saltationem egissent (ad Callim. hymnum in Delum 314); verum id si referre his verbis voluisset Theophrastus, permiro narrandi genere usus esset. Neque id mihi probatur quod Spanhemius Δήλιον a Theophrasto commemoratum Athenis fuisse putavit; nusquam enim memoriae proditum invenimus templum Apollini Delio dedicatum Athenis exstitisse (Mommsen Heortol. p. 51). Alia est Gilberti opinio (Deliaca p. 24), qui cogitandum esse censet de

Delio illo quod Marathone fuisse scimus (Philoch. apud schol. Soph. Oed. Col. 1047. Preller Polemonis fragm. p. 120); quae si Theophrasti fuisset sententia, vix omisisset nomen Marathonis. Ego de hac re ita sentio. Significatur a Theophrasto celeberrimum Apollinis templum quod fuit Deli; saltatorum autem appellatione dicebatur unus ex iis choris quos Athenienses Delum mittere solitos esse nemo ignorat (v. Thuc. III 104. Xenoph. Memor. III 3, 12. Plut. Nic. 3. Corpus inscr. Gr. 158); Euripides vero Theophrasto testante vinum iis ministravit Athenis, eo nimirum tempore quo a magistro antequam Delum proficiscerentur choreas edocebantur. Restat ut de postremis Theophrasti verbis pauca addam. In his non recte Casaubonum γραφήν pro tabula picta habuisse vix est quod moneam; libellum hac voce significari perspexit Hermannus de theoria Delph. p. 7. In eo tamen Hermanno non assentior, quod litteris mandatum fuisse censuit, Apollinem eundem esse cui Thargelia agerentur. Nam mirum profecto esset, si Theophrastus ut talem rem comprobaret commentarioli cuiusdam perobscuri qui in uno ex minoribus fanis conservabatur testimonium attulisset. Mea sententia, si quidem recte Valckenaerius Φλυῆσιν reposuisse censendus est, περὶ τούτων non ad illa ὁ δὲ Ἀπόλλων κτλ. spectat a Theophrasto in transitu interposita, sed ad ea quae antea de Euripide tradidit; is enim ex pago Phlyensium oriundus erat. Δαφνηφορεῖον ibi situm Bursianus (*Geogr. von Griechenland* I p. 348) non diversum esse putat ab eo templo cuius Pausanias his verbis mentionem facit: Φλυεῦσι δέ εἰσι καὶ Μυρρινουσίοις τοῖς μὲν Ἀπόλλωνος Διονυσοδότου καὶ Ἀρτέμιδος σελασφόρου βωμοὶ Διονύσου τε Ἀνθίου καὶ Νυμφῶν Ἰσμηνίδων καὶ Γῆς ἣν μεγάλην θεὸν ὀνομάζουσι· ναὸς δὲ ἕτερος ἔχει βωμοὺς κτλ. (I 31, 4).

IV. Suidas s. v. Ἀναγυράσιος (descr. Apostolius IX 79; cf. Bernhardy ad Suid. v. ἐγκατελέγησαν λίθοι): δῆμός ἐστιν Ἀναγυροῦς κτλ. καὶ Ἀναγυράσιος δαίμων. καὶ τέμενος Ἀναγύρου ἐν τῷ δήμῳ τῶν Ἀναγυρασίων. [Quae sequuntur Ἀναγυράσιος δαίμων, ἐπεὶ τὸν παροικοῦντα πρεσβύτην καὶ ἐκτέμνοντα τὸ ἄλσος ἐτιμωρήσατο Ἀνάγυρος ἥρως· Ἀναγυράσιοι (immo Ἀναγυροῦς) δὲ δῆμος τῆς Ἀττικῆς conexum verborum interrumpunt.] τούτου δέ τις ἐξέκοψε τὸ ἄλσος. ὁ δὲ τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐπέμηνε τὴν παλλακήν, ἥτις μὴ δυναμένη συμπεῖσαι τὸν παῖδα διέβαλεν ὡς ἀσελγῆ τῷ πατρί. ὁ δὲ ἐπήρωσεν αὐτὸν καὶ ἐγκατῳκοδόμησεν. ἐπὶ τούτοις καὶ ὁ πατὴρ ἑαυτὸν ἀνήρ-

τησεν. ἡ δὲ παλλακὴ εἰς φρέαρ ἑαυτὴν ἔρριψεν. ἱστορεῖ δὲ Ἱερώνυμος ἐν τῷ περὶ τραγῳδιοποιῶν, ἀπεικάζων τούτοις τὸν Εὐριπίδου Φοίνικα.

Male Bernhardyus non ea quae ego uncis inclusi sed verba Ἀναγυράσιοι δὲ — ἄλσος eximenda esse arbitratus est: quasi illis ἐτιμωρήσατο Ἀνάγυρος ἥρως continuari possent verba ὁ δὲ τῷ υἱῷ κτλ.

Magis exornata enarratio huius fabulae, de qua disseruit Welckerus *die griech. Trag.* p. 804, ex lexico Coisliniano sumpta legitur in paroemiographorum edit. Gotting. I p. 219 sq. Ἀναγυράσιος δαίμων. ὅταν χαλεπή τις τύχη καὶ πονηρὰ δυστυχία κατασείσῃ πᾶσαν οἰκίαν ἀλλεπαλλήλοις δεινοῖς, ἡ παροιμία λέγεται. φασὶ γὰρ γενέσθαι τινὰ γεωργὸν ἐν τῷ Ἀναγυρασίων δήμῳ, αἰτίαν ἔχοντα ἐξυβρίζειν εἰς τὸν πλησίον ἱδρυμένον βωμόν. διὸ συμφοραῖς τὸν ἄνθρωπον δειναῖς περιπεσεῖν· πρῶτον μὲν γὰρ ἀπέλαβε (ἀπέβαλε em. Leutsch) τὴν γυναῖκα, ἐξ ἧς αὐτῷ παῖς ἐγεγόνει· εἶτα τὸν υἱὸν ἐπήρωσε διαβολῇ πλαστῇ τῆς μητρυιᾶς χρησάμενος· καὶ λαβὼν αὐτὸν ἀνεβίβασεν εἰς πλοιάριον καὶ εἰς λυπρὸν ἐξέθηκε νησίδιον· εἶτα ὀνείδει κατεχόμενος αὐτός τε καὶ ἡ γυνὴ κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν αὐτὸς μὲν συγκλείσας ἑαυτὸν μετὰ πάντων τῶν κτημάτων ἐν τῇ οἰκίᾳ καὶ πῦρ ὑποβαλὼν ἐκαύθη· ἡ δὲ γυνὴ εἰς φρέαρ ἑαυτὴν ἔρριψεν. Inepta exstant apud Diogenianum III 31 (Apostol. II 96) Ἀναγυράσιος δαίμων· ὠμότατος γὰρ ὁ Ἀναγυράσιος οὗτος. Fabula ab Hieronymo relata nota fuisse videtur Aeliano. Nam verba a Suida s. v. ἐναύειν posita εἰ δὲ ἐντεῦθεν Εὐριπίδης ἐναυσάμενος τὸν λόγον ἅπαντα εἶτα μέντοι Φοίνικι περιτίθησιν, quae ex Hieronymo exscripta esse Toupius putaverat, Aeliano vindicata sunt ab Herchero (fr. 295 ed. Paris., cf. fr. 316). Verbis δαίμων Ἀναγυράσιος quae unde sumpta sint nescimus calamitatem significatam esse similem eius quae olim Anagyri accidisse ferebatur ex Suida perspicuum est. Miro iudicio Welckerus daemonem quendam Anagyrasium ab Anagyro heroe discernendum esse pronuntiavit.

Ante Hieronymum fabula illa disertis testimoniis non commemoratur. Tractatam eam fuisse in Anagyro comoedia Aristophanea putat Bergkius (Meineke fragm. com. Gr. II p. 959) utiturque ad hanc sententiam comprobandam fragmento eius fabulae (7) cuius verba sunt: πρὸς θεῶν, ἐρᾷ (ἔραμαι Porson) τέττιγα φαγεῖν καὶ κερκώπην θηρευσαμένη καλαμῷ λεπτῷ. Dictos enim censet hos versus a muliere privigni amore flagrante similique Phaedrae quae apud Euripidem (Hipp. 219) exclamat: πρὸς θεῶν, ἔραμαι κυσὶ θωῦξαι κτλ. Verum satis infirmam esse hanc argu-

mentationem Bergkius ipse quodammodo concedit, Hippolytum ab Aristophane haud raro tangi adnotans. Praeter Aristophaneam exstitit Diphili fabula Ἀνάγυρος inscripta. Ad poenam ab Anagyro heroe exercitam spectasse videtur proverbium τὸν Ἀνάγυρον κινεῖν dictum de eo qui mala sibi contraxit. Arist. Lysistr. 68 ὁ γοῦν Ἀνάγυρός μοι κεκινῆσθαι δοκεῖ. Zenob. II 55 Ἀνάγυρον κινεῖν: ἔστιν ὁ Ἀνάγυρος (Ἀναγυροῦς Schneidewin) δῆμος Ἀττικός, ἔνθα δυσῶδες φυτὸν φύεται, οὕτω καλούμενον ἀνάγυρος. εἴρηται οὖν ἡ παροιμία ἐντεῦθεν ἐπὶ τῶν κινούντων τινὰ ἐπὶ κακῷ ἑαυτῶν. τινὲς δὲ λέγουσιν ὅτι Ἀνάγυρος ἥρως γέγονεν, ὅστις τοὺς οἴκους τῶν γειτονούντων αὐτῷ ἐκ βάθρων ἀνέστρεψεν, ἐπειδὴ τὸ ἡρῷον αὐτοῦ ὑβρίσαι ἐπεχείρησαν. μέμνηται ταύτης Ἀριστοφάνης ἐν Λυσιστράτῃ. Diogen. I 25 Ἀνάγυρον κινεῖς: ἐπὶ τῶν κινούντων τινὰ ἐπὶ τῷ ἑαυτῶν κακῷ. Ἀνάγυρος γάρ τις ἥρως ἐπιχώριος τοὺς γειτονοῦντας ἐκ βάθρων ἀνέτρεψεν, ἐπειδὴ τὸ ἡρῷον αὐτοῦ ὑβρίσαι ἐπεχείρησαν. Cf. etiam I 52 (Apostol. IX 99). Gregor. Cypr. cod. Mosq. I 22. Alii proverbium a planta quae ἀνάγυρος vocabatur nomenque pago dederat — ex pagi autem nomine factus est heros — derivabant. V. Zenob. l. c. Schol. Aristoph. l. c. παρὰ τὴν παροιμίαν 'κινήσω τὸν ἀνάγυρον'. ἔστι δὲ πόα δυσώδης. Suidas s. v. Ἀνάγυρος (mant. proverb. I 94): [δῆμος τῆς Ἀττικῆς καὶ] ἄνθος ὃ τριβόμενον ὄζει. καὶ παροιμία ἐντεῦθεν 'κινεῖς τὸν ἀνάγυρον' ἐπὶ τῶν ἐπισπωμένων ἑαυτοῖς τὰ κακά. s. v. κινεῖς τὸν ἀνάγυρον: ἐπὶ τῶν ἐπισπωμένων ἑαυτοῖς τὰ κακά. ἔστι δὲ τὸ φυτὸν ὁ ἀνάγυρος δυσῶδες τριβόμενον. Hesych. ἀνάγυρον κινεῖν (κινῆ codex, em. Schow)· παροιμία 'κινήσω τὸν ἀνάγυρον' διὰ τὸ δυσῶδες φυτὸν αὐτόθι φύεσθαι. Bekk. anecd. p. 210 Ἀναγυράσιος: ὁ Ἀνάγυρος (Ἀναγυροῦς Bekker) δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα καὶ φυτὸν φύεται δυσῶδες ὁ ἀνάγυρος, ἐφ' οὗ λέγεται μὴ κινεῖν τὸν ἀνάγυρον. Lex. Coisl. in paroemiogr. ed. Gotting. I p. 46 Ἀνάγυρος δῆμος τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα ἦν βορβορώδης τόπος κἀντεῦθεν δυσώδης, ὃς κινούμενος πολλὴν ἐποίει τὴν δυσωδίαν. ἐντεῦθεν ἐπεκράτησε καὶ παροιμία 'κινεῖς τὸν Ἀνάγυρον' ἐπὶ τῶν ἑαυτοῖς ἐπικινούντων κακά. ἔνιοι δὲ ἀπὸ ἀναγύρου, λοχμώδους φυτοῦ ἀλεξικάκου ὄντος, ὃ τριβόμενον ὄζει καὶ δυσωδίαν ἐπιφέρει τῷ τοῦτο τρίβοντι. Sed reicienda videtur haec explicatio: quam si sequimur, quid κινεῖν sibi velit non satis intellegi potest. Insulse conficta sunt quae in lexico Coisliniano excipiunt verba a me exscripta: οἱ δὲ φασὶν ἀπὸ ἱερείας τινὸς τῆς Ἑκάτης, ἥτις ἐνθουσιῶσα καὶ βακχευομένη τῇ δαίμονι ἠπείλει κινῆσαι αὐτῇ τὸν ἀνάγυρον· καὶ ἅμα λαμβάνουσα τοὺς ἐκ τοῦ φυτοῦ λύγους ἐμάστιζεν

ἑαυτήν, ὡς δῆθεν τὴν Ἑκάτην ἐκ τούτου λυποῦσα· καὶ ἡ παροιμία ἐπεκράτησεν ἐπὶ τῶν ἑαυτοῖς ἐπιφερόντων κακά. Cf. Suidas κίνησον τὸν ὀνόγυρον: ὁ ὀνόγυρος εἶδος λυγώδους φυτοῦ. ὅθεν δηλοῖ ὅτι τὰς μάστιγας κίνησον.

V. Ath. XIV p. 635 F Ἱερώνυμος δ' ἐν τῷ περὶ κιθαρῳδῶν, ὅπερ ἐστὶ πέμπτον περὶ ποιητῶν, κατὰ Λυκοῦργον τὸν νομοθέτην τὸν Τέρπανδρόν φησι γενέσθαι.

De Terpandri aetate iam ante Hieronymum variae prolatae erant opiniones, quarum auctores quibus argumentis usi sint non satis perspicuum est. Clem. Al. Strom. I 131 Ἑλλάνικος γοῦν τοῦτον ἱστορεῖ κατὰ Μίδαν γεγονέναι, Φανίας δὲ πρὸ Τερπάνδρου τιθεὶς Λέσχην τὸν Λέσβιον, Ἀρχιλόχου νεώτερον φέρει τὸν Τέρπανδρον. Plut. de mus. 4 (Westphal ad Plut. de mus. p. 68. O. Loewe de Terpandri aetate p. 15) πρεσβύτερον γοῦν αὐτὸν Ἀρχιλόχου ἀποφαίνει Γλαῦκος ὁ ἐξ Ἰταλίας ἐν συγγράμματι τῷ περὶ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν τε καὶ μουσικῶν. φησὶ γὰρ αὐτὸν δεύτερον γενέσθαι μετὰ τοὺς πρώτους ποιήσαντας αὐλῳδίαν. 5 μετὰ δὲ Τέρπανδρον καὶ Κλονᾶν Ἀρχίλοχος παραδίδοται γενέσθαι. Cf. marmor. Par. ep. 34. Hieronymum Loewius (p. 18) propterea Lycurgum et Terpandrum aetate inter se coniunctos perhibuisse arbitratur, quia Terpandrum Lacedaemoniorum legibus quae Lycurgi haberentur modos aptasse perperam statuisset. Legimus sane apud Clementem Strom. I 78 μέλος τε αὖ πρῶτος περιέθηκε τοῖς ποιήμασι καὶ τοὺς Λακεδαιμονίων νόμους ἐμελοποίησε Τέρπανδρος ὁ Ἀντισσαῖος. Sed hunc errorem, quem ex perversa nomorum interpretatione ortum esse veri simillimum est (Nitzsch de hist. Hom. I p. 32), eam ipsam ob causam Hieronymi aetate posteriorem esse putaverim. Neque omnino opus est illa coniectura; in eo enim, quod Lycurgus turbatam Lacedaemoniorum civitatem legibus restituisse, Terpander modis et canendi arte carminibusque bonarum sententiarum plenis seditionem Spartae sedasse ferebatur, causam satis idoneam inesse arbitror, quae hominem ab accurata veri investigatione alienum ad duorum virorum tempora coniungenda impellere potuerit: cf. Plut. v. Agidis 10 ἐπεὶ Τέρπανδρόν τε καὶ Θάλητα καὶ Φερεκύδην ξένους ὄντας, ὅτι τὰ αὐτὰ τῷ Λυκούργῳ διετέλουν ᾄδοντες καὶ φιλοσοφοῦντες, ἐν Σπάρτῃ τιμηθῆναι διαφερόντως. Diligentius de Terpandri aetate inquisivit is scriptor quo usus est Athenaeus l. c. (cf. Rohde de Poll. in app. scaen. enarr. font. p. 48 sq.) ὅτι δὲ καὶ Τέρπανδρος ἀρχαιότερος Ἀνακρέοντος δῆλον

ἐκ τούτων· τὰ Κάρνεια πρῶτος πάντων Τέρπανδρος νικᾷ, ὡς Ἑλλάνικος ἱστορεῖ ἔν τε τοῖς ἐμμέτροις Καρνεονίκαις κἀν τοῖς καταλογάδην. ἐγένετο δὲ ἡ θέσις τῶν Καρνείων κατὰ τὴν ἕκτην καὶ εἰκοστὴν ὀλυμπιάδα, ὡς Σωσίβιός φησιν ἐν τῷ περὶ χρόνων: qua ratiocinatione, quamquam ne ipsa quidem in tanta temporum illorum obscuritate pro certissima haberi potest, melior tamen, nisi vehementer fallor, neque inventa est neque invenietur. Denique addo, eidem scriptori necessario tribuenda esse verba cum testimonio Hieronymi coniuncta ὃς ὑπὸ πάντων συμφώνως ἱστορεῖται μετὰ τοῦ Ἰφίτου τοῦ Ἠλείου τὴν πρώτην ἀριθμηθεῖσαν τῶν Ὀλυμπίων θέσιν διαθεῖναι, non ipsi Hieronymo cui adscripta sunt a Westphalio *Gesch. der alten Musik* p. 67 sq.; pertinent enim ad illius argumentationem, qua Terpandrum, sicut Sappho, Anacreonte antiquiorem esse comprobare studet.

VI. Ath. XIII p. 557 E φιλογύνης δ' ἦν καὶ Εὐριπίδης ὁ ποιητής. Ἱερώνυμος γοῦν ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασί φησιν οὕτως· εἰπόντος Σοφοκλεῖ τινος ὅτι μισογύνης ἐστὶν Εὐριπίδης, 'ἔν γε ταῖς τραγῳδίαις', ἔφη ὁ Σοφοκλῆς, 'ἐπεὶ ἔν γε τῇ κλίνῃ φιλογύνης'.

Ath. XIII p. 603 E φιλομεῖραξ δὲ ἦν ὁ Σοφοκλῆς, ὡς Εὐριπίδης φιλογύνης. Stob. Floril. VI 36 ἐκ τῶν Σερήνου. περὶ Εὐριπίδου τις ἔλεγεν ὅτι μισογύνης εἴη· καὶ ὁ Σοφοκλῆς 'ἀλλ' οὐκ ἔν γε τῇ κλίνῃ' ἔφη.

VII. Ath. XIII p. 604 D καὶ Ἱερώνυμος δ' ὁ Ῥόδιος ἐν τοῖς ἱστορικοῖς ὑπομνήμασί φησιν ὅτι Σοφοκλῆς εὐπρεπῆ παῖδα ἔξω τείχους ἀπήγαγε χρησόμενος αὐτῷ. ὁ μὲν οὖν παῖς τὸ ἴδιον ἱμάτιον ἐπὶ τῇ πόᾳ ὑπέστρωσε, τὴν δὲ τοῦ Σοφοκλέους χλανίδα περιεβάλοντο. μετ' οὖν τὴν ὁμιλίαν ὁ παῖς ἁρπάσας τὸ τοῦ Σοφοκλέους χλανίδιον ᾤχετο, καταλιπὼν τῷ Σοφοκλεῖ τὸ ἑαυτοῦ παιδικὸν ἱμάτιον. οἷα δὲ εἰκὸς διαλαληθέντος τοῦ συμβεβηκότος Εὐριπίδης πυθόμενος καὶ ἐπιτωθάζων τὸ γεγονὸς καὶ αὐτός ποτε ἔφη τούτῳ κεχρῆσθαι τῷ παιδὶ ἀλλὰ μηδὲν προσθεῖναι, τὸν δὲ Σοφοκλέα διὰ τὴν ἀκολασίαν καταφρονηθῆναι (κατασοφισθῆναι vel simile quid legi vult Meineke). καὶ ὁ Σοφοκλῆς ἀκούσας ἐποίησεν εἰς αὐτὸν τοιοῦτον ἐπίγραμμα, χρησάμενος τῷ περὶ τοῦ ἡλίου καὶ βορέου λόγῳ καὶ τὸ πρὸς μοιχείαν αὐτοῦ παραινιττόμενος·

ἥλιος ἦν, οὐ παῖς, Εὐριπίδη, ὅς με χλιαίνων
γυμνὸν ἐποίησεν· σοὶ δὲ φιλοῦνθ' ἑτέραν

βορρᾶς ὡμίλησε. σὺ δ' οὐ σοφός, ὃς τὸν Ἔρωτα
ἀλλοτρίαν σπείρων λωποδύτην ἀπάγεις.

In postremo versu πειρῶν pro σπείρων corrigendum esse dixit Heckerus comm. crit. de Anth. Gr. I p. 20, hac usus argumentatione: 'Euripidem uxorem alienam tentasse quidem, sed voti compotem factum non esse intellegitur ex vs. 3 ubi Euripidi amore flagranti non leniter placida Venus afflasse, sed frigidissimus ventus Boreas adversus occurrisse dicitur'. At verba σοὶ δὲ βορρᾶς ὡμίλησε referenda sunt ad illa quae Euripidem adfirmasse antea narravit Hieronymus καὶ αὐτός ποτε τούτῳ κεχρῆσθαι τῷ παιδὶ ἀλλὰ μηδὲν προσθεῖναι, cuius rei in epigrammate rationem haberi necesse est. Itaque verba σοὶ δὲ κτλ. significant, Euripidem, quippe qui mulieris amore flagraret, cum puero uteretur non calidum fuisse sicut Sophoclem (cui ἀκολασίαν obiecerat Euripides) sed frigidiorem: cuius sententiae foeda obscenitas a consilio epigrammatis mihi quidem aliena esse non videtur. Eo quoque Heckeri opinio refutatur, quod Sophoclem Euripidis adulterium, non alienae uxoris cupiditatem tetigisse Hieronymus perspicue testatur. Ceterum verborum σὺ δ' οὐ σοφὸς κτλ., de quibus mira protulerat Iacobsius Anthol. Gr. VI p. 319, universum sensum Heckerus recte hunc esse dicit: 'tu stulte sane, ipse furtivam Venerem venatus, Amorem furti accusatum in iudicium rapis'.

Frigidum autem inficetumque esse hoc epigramma et a Sophocle alienum rectissimo ut mihi certe videtur iudicio censent Nauckius (Eur. trag. I p. XIX) et A. Schoellius (Soph. p. 85 '*unverzeihlich bleibt es, ein so erbärmliches Machwerk, wie dieses Epigramm, für sophokleisch zu halten*'); atque etiam si aliquanto elegantius esset compositum, tamen propter insignem Hieronymi levitatem originem Sophocleam pro certa habere minime liceret. Ritteri sententiam, qui Hieronymum et inventorem fabulae et scriptorem epigrammatis fuisse coniecit (Didymi opusc. p. 49), satis probabilem esse puto. Potuerunt autem Hieronymum ad haec fingenda tales allicere narratiunculae quales nobile Ionis fragmentum praebet apud Athen. XIII p. 603 E sqq. (cf. Dindorf comment. de vita Soph. p. XV). Euripidi falso adscriptum epigramma legitur apud Ath. II p. 61 B: v. Schenkl Philol. XXIII p. 349. — Longe aliter de ea re iudicavit Zurborgius, qui epigramma haud dubitanter Sophocli attribuit summisque extollit laudibus (Herm. X p. 212 sq. '*Es zeigt auf*

der einen Seite eine Eleganz in der dichterischen Form, eine Gefälligkeit in der geschmackvollen Durchführung des Gedankens, wie sie durchaus dem Bilde, das wir uns von Sophokleischer Lyrik zu machen geneigt sind, entsprechen würde' e. q. s. '*Die launige und witzige Behandlung dieser Replik*' e. q. s. '*Der in demselben so geistreich verwandte* αἶνος' e. q. s.). Praeterea censet vocabulum παῖς non cum Hieronymo ad puerum, sed propter id quod sequitur ἑτέραν necessario ad puellam referendum esse. Quae ratiocinatio mihi non comprobatur; neque enim, ut mea fert opinio, quidquam obstabat, quo minus amor feminae et amor alio conversus voce ἑτέραν praecise comprehenderentur. Comparari quodammodo potest Homericum illud οἴσετε δ' ἄρν', ἕτερον λευκόν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν Γ 103; cf. η 124. Itaque ne Meinekio quidem assentior in ἑτέραν vitium latere opinanti. De arte autem poematis num Zurborgius recte existimaverit videant alii.

VIII. Laert. I 26 φησὶ δὲ καὶ Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν σποράδην ὑπομνημάτων, ὅτι (Thales) βουλόμενος δεῖξαι ῥᾷον (ῥᾴδιον Cobet) εἶναι πλουτεῖν, φορᾶς μελλούσης ἐλαιῶν ἔσεσθαι, προνοήσας ἐμισθώσατο τὰ ἐλαιουργεῖα καὶ πάμπλειστα συνεῖλε (συνέλεξε Cobet) χρήματα.

Sumpta haec sunt ex Aristot. Pol. I 11 p. 1259 a ἔτι δὲ καὶ τὰ λεγόμενα σποράδην, δι' ὧν ἐπιτετυχήκασιν ἔνιοι χρηματιζόμενοι, δεῖ συλλέγειν, πάντα γὰρ ὠφέλιμα ταῦτ' ἐστὶ τοῖς τιμῶσι τὴν χρηματιστικήν, οἷον καὶ τὸ Θάλεω τοῦ Μιλησίου· τοῦτο γάρ ἐστι κατανόημά τι χρηματιστικόν, ἀλλ' ἐκείνῳ μὲν διὰ τὴν σοφίαν προσάπτουσι, τυγχάνει δὲ καθόλου τι ὄν. ὀνειδιζόντων γὰρ αὐτῷ διὰ τὴν πενίαν ὡς ἀνωφελοῦς τῆς φιλοσοφίας οὔσης, κατανοήσαντά φασιν αὐτὸν ἐλαιῶν φορὰν ἐσομένην ἐκ τῆς ἀστρολογίας, ἔτι χειμῶνος ὄντος εὐπορήσαντα χρημάτων ὀλίγων ἀρραβῶνας διαδοῦναι τῶν ἐλαιουργείων (ita codex P[1], ἐλαιουργίων vel ἐλαιούργων alii, cf. Hier.) τῶν τ' ἐν Μιλήτῳ καὶ Χίῳ πάντων, ὀλίγου μισθωσάμενον ἅτ' οὐδενὸς ἐπιβάλλοντος· ἐπειδὴ δ' ὁ καιρὸς ἧκε, πολλῶν ζητουμένων ἅμα καὶ ἐξαίφνης, ἐκμισθοῦντα ὃν τρόπον ἠβούλετο, πολλὰ χρήματα συλλέξαντα ἐπιδεῖξαι, ὅτι ῥᾴδιόν ἐστι πλουτεῖν τοῖς φιλοσόφοις, ἂν βούλωνται, ἀλλ' οὐ τοῦτ' ἐστὶ περὶ ὃ σπουδάζουσι. Θαλῆς μὲν οὖν λέγεται τοῦτον τὸν τρόπον ἐπίδειξιν ποιήσασθαι τῆς σοφίας κτλ. Cic. de div. I 49, 111 *Milesium Thalem, qui, ut obiurgatores suos convinceret ostenderetque etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam, ante quam*

florere coepisset, in agro Milesio coëmisse dicitur. animadverterat fortasse quadam scientia olearum ubertatem fore. Cuius narrationis ab ea quam Aristoteles et Hieronymus praebent discrepantia, quam Luzacius p. 229, 4 improbabili subtilitate tollere studuit, non magni momenti est. Quod Plinius eandem rem de Democrito tradit (nat. hist. XVIII 49, 273) neglegentiae tribuendum.

IX. Laert. II 14 Ἱερώνυμος δ' ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν σποράδην ὑπομνημάτων φησὶν ὅτι ὁ Περικλῆς παρήγαγεν αὐτὸν (Anaxagoram) ἐπὶ τὸ δικαστήριον, διερρυηκότα καὶ λεπτὸν ὑπὸ νόσου, ὥστε ἐλέῳ μᾶλλον ἢ κρίσει ἀφεθῆναι.

De Anaxagorae accusatione cum nihil certi litteris mandatum esset, sed sermonibus populi et philosophorum huius rei memoria propagaretur, magnus apertus erat campus vanis inventis confictisque fabellis. Hieronymi narrationi non repugnat ea quam postea tradidit Hermippus: Laert. II 13 Ἕρμιππος δ' ἐν τοῖς βίοις φησὶν ὅτι καθείρχθη ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τεθνηξόμενος· Περικλῆς δὲ παρελθὼν εἶπεν εἴ τι ἔχουσιν ἐγκαλεῖν αὐτῷ κατὰ τὸν βίον· οὐδὲν δὲ εἰπόντων, 'καὶ μὴν ἐγώ', ἔφη, 'τούτου μαθητής εἰμι· μὴ οὖν διαβολαῖς ἐπαρθέντες ἀποκτείνητε τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἐμοὶ πεισθέντες ἄφετε'· καὶ ἀφείθη. Cf. Plut. Nic. 23. Laert. II 15. Sotion autem in eo ab Hieronymo dissensit, quod non absolutum sed damnatum esse Anaxagoram rettulit (Laert. II 12, cf. Olympiod. ad Aristot. Meteor. I 3, 2. Suid. s. v. Ἀναξαγόρας), Satyrus praeterea etiam in eo, quod absentem eum damnatum esse narravit (Laert. II 12). Cf. Sintenis ad Plut. Per. 32.

X. Athen. X p. 434 F Ἱερώνυμός τε ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς Θεόφραστόν φησι λέγειν ὅτι Ἀλέξανδρος οὐκ εὖ διέκειτο πρὸς τὰ ἀφροδίσια. Ὀλυμπιάδος γοῦν καὶ παρανακλινάσης αὐτῷ Καλλιξέναν τὴν Θετταλὴν ἑταίραν περικαλλεστάτην οὖσαν, συνειδότος τοῦτο καὶ τοῦ Φιλίππου — εὐλαβοῦντο γὰρ μὴ γύννις εἴη —, πολλάκις ᾔτει αὐτὴ τὸν Ἀλέξανδρον συγγενέσθαι.

Hieronymi epistulas ab Athenaeo laudari recte statuisse videtur Meursius (Rhodus II 10). Aliter censuit Clintonus, qui Θεόφραστον ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ab Hieronymo citatum fuisse putavit (Fasti Hellen. III p. 19). Exstitisse Theophrasti epistulas Laertius docet (V 50); sed propter collocationem verborum Clintoni opinio veri est dissimillima.

XI. 1. Cic. de fin. II 3, 8 *tenesne igitur, inquam, Hieronymus Rhodius quid dicat esse summum bonum, quo putet omnia referri oportere? teneo, inquit, finem illi videri nihil dolere. quid? idem iste, inquam, de voluptate quid sentit? negat esse eam, inquit, propter se expetendam.*

2. ib. 5, 16 *si enim idem dicit* (Epicurus) *quod Hieronymus, qui censet summum bonum esse sine ulla molestia vivere, cur mavolt dicere voluptatem quam vacuitatem doloris, ut ille facit, qui quid dicat intellegit?*

3. ib. 6, 19 *multi enim et magni philosophi haec ultima bonorum iuncta fecerunt e. q. s. idem fecisset Epicurus, si sententiam hanc, quae nunc Hieronymi est, coniunxisset cum Aristippi vetere sententia. illi enim inter se dissentiunt; propterea singulis finibus utuntur et, cum uterque Graece egregie loquatur, nec Aristippus, qui voluptatem summum bonum dicit, in voluptate ponit non dolere, neque Hieronymus, qui summum bonum statuit non dolere, voluptatis nomine umquam utitur pro illa indolentia, quippe qui ne in expetendis quidem rebus numeret voluptatem.*

4. ib. 10, 32 *nec tamen argumentum hoc Epicurus a parvis petivit aut etiam a bestiis, quae putat esse specula naturae, ut diceret ab iis duce natura hanc voluptatem expeti nihil dolendi. neque enim haec movere potest adpetitum animi, nec ullum habet ictum, quo pellat animum, status hic non dolendi. itaque in hoc eodem peccat Hieronymus.*

5. ib. 11, 35 *ita tres sunt fines expertes honestatis, unus Aristippi vel Epicuri, alter Hieronymi, Carneadi tertius.*

6. ib. *reliqui sibi constiterunt, ut extrema cum initiis convenirent, ut Aristippo voluptas, Hieronymo doloris vacuitas, Carneadi frui principiis naturalibus esset extremum. Epicurus autem cum in prima commendatione voluptatem dixisset, si eam, quam Aristippus, idem tenere debuit ultimum bonorum, quod ille; sin eam, quam Hieronymus, fecisset idem, ut voluptatem illam in prima commendatione poneret.*

7. ib. 13, 41 *nec vero audiendus Hieronymus, cui summum bonum est idem, quod vos interdum vel potius nimium saepe dicitis, nihil dolere; non enim, si malum est dolor, carere eo malo satis est ad bene vivendum.*

8. ib. IV 18, 49 *quid censes eos esse facturos, qui omnino virtutem a bonorum fine segregaverunt, Epicurum, Hieronymum e. q. s.*

9. ib. V 5, 14 *praetereo multos, in his doctum hominem et suavem, Hieronymum, quem iam cur peripateticum appellem nescio: summum enim bonum exposuit vacuitatem doloris; qui autem de summo bono dissentit, de tota philosophiae ratione dissentit.*

10. ib. 7, 20 *expositis iam igitur sex de summo bono sententiis, trium proximarum hi principes: voluptatis Aristippus, non dolendi Hieronymus e. q. s.*

11. ib. 25, 73 *positum est a nostris in iis esse rebus, quae secundum naturam essent, non dolere: hoc Hieronymus summum bonum esse dixit.*

12. Cic. Acad. II 42, 131 *voluptatem autem et honestatem finis esse Callipho censuit; vacare omni molestia Hieronymus; hoc idem cum honestate Diodorus: ambo hi peripatetici.*

13. Cic. Tusc. disp. II 6, 15 *hunc post Rhodius Hieronymus dolore vacare summum bonum dixit: tantum in dolore duxit mali.*

14. ib. V 30, 84 *sunt autem haec de finibus, ut opinor, retentae defensaeque sententiae; primum simplices quattuor: nihil bonum nisi honestum, ut Stoici; nihil bonum nisi voluptatem, ut Epicurus; nihil bonum nisi vacuitatem doloris, ut Hieronymus; nihil bonum nisi naturae primis bonis aut omnibus aut maximis frui, ut Carneades contra Stoicos disserebat.*

15. ib. 31, 87 *reliqui habere se videntur angustius, enatant tamen: Epicurus, Hieronymus et si qui sunt, qui desertum illud Carneadeum curent defendere; nemo est enim eorum quin bonorum animum putet esse iudicem eumque condocefaciat, ut ea, quae bona malave videantur, possit contemnere. nam quod tibi Epicurus videtur, eadem erit Hieronymi et Carneadis causa et hercule omnium reliquorum; quis enim parum est contra mortem aut dolorem paratus?*

16. Plut. de Stoic. repugn. 2 p. 1033 οὐκ ἄδηλον ὅτι τοῖς ὑφ' ἑτέρων γραφομένοις καὶ λεγομένοις μᾶλλον ἢ τοῖς ὑφ' αὑτῶν ὁμολογουμένως ἔζησαν (Stoici), ἣν Ἐπίκουρος ἡσυχίαν ἐπαινεῖ καὶ Ἱερώνυμος, ἐν ταύτῃ τὸ παράπαν καταβιώσαντες.

Apparet non recte scripsisse Zellerum II 2³ p. 925, 4: '*die* ἡσυχία *bezeichnet Plut. Sto. rep. 2, 2 als Hieronymus Ideal, mit dem Beisatz, sein Leben habe ebenso, wie das Epikurs, dieser Theorie entsprochen*'.

17. Clem. Al. Strom. II 127 (cf. Zeller l. c.) Δεινόμαχος δὲ καὶ Καλλιφῶν τέλος εἶναι ἔφασαν κτλ., ὅ τε Ἱερώνυμος ὁ περιπατητικὸς τέλος μὲν εἶναι τὸ ἀοχλήτως ζῆν, τελικὸν δὲ ἀγαθὸν μόνον τὴν εὐδαιμονίαν.

18. Porphyrio ad Hor. epist. I 6, 65 (*si, Mimnermus uti censet, sine amore iocisque nil est iucundum*) *Mimnermus elegiarum scriptor fuit, in quadam ecloga Hieronimi sectam commendans, qui summum bonum indolentiam* (*ait* add. codd. rec.), *quam Graeci* ἀπονίαν *nominant, molestias amoris plus incommodi quam gaudii habere demonstrat.*

Etiam si quis statui posse putet, Porphyrionem ad Alexandrinorum tempora Mimnermum inscite rettulisse, tamen quin locus corruptus sit nequit dubitari; nam ea profecto non potuit Porphyrio Mimnermo tribuere, quae verbis Horatianis aperte repugnarent. Apud Meyerum haec adnotata inveniuntur: '*quadam* corruptum (ex *prima iam*?), deinde (cum ς) *indolentiam ait* scribendum, postremo haec non ad Mimnermum, sed ad Horatium referenda videntur'. Ego vero quo modo ad Horatium ea pertinere possint, fateor me non intellegere. Excidisse potius mihi videtur nomen eius quem opposuerat Mimnermo sectamque Hieronymi commendasse dixerat Porphyrio. *quadam* corruptum esse etiam Paulyi opinio est (*Beitr. zur Kritik des Porph.* p. 42), etsi de ceteris Meyero non assentitur. Sed cf. ex. gr. schol. Veron. Verg. ecl. 7, 22 *similiter autem hunc Codrum in elegiis Valgius honorifice appellat et* *q u a d a m* *in* *e c l o g a* *de eo ait* e. q. s. Seneca de brev. vitae 4, 3 *in quadam ad senatum missa epistula.*

19. Iambl. apud Stob. ecl. I 41, 42 ἢ τῇ ἀοχλησίᾳ καθ' Ἱερώνυμον ἢ ἄλλοις τισὶ τρόποις διαγωγῆς τὸ αἱρετὸν ἔχοντες κτλ. —

Cf. Brandis *Gesch. der griech.-röm. Philos.* III 2 p. 245. Zeller l. c. p. 924.

XII. Cic. Tusc. disp. V 41, 118 *mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quae in Graecorum conviviis obtinetur. 'aut bibat' inquit 'aut abeat'. et recte; aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi aut, ne sobrius in violentiam vinulentorum incidat, ante discedat. sic iniurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas. haec eadem, quae Epicurus, totidem verbis dicit Hieronymus.*

XIII. Seneca de ira I 19, 3 *quid opus est, inquit Hieronymus, cum velis caedere aliquem, tua prius labra mordere?*

XIV. Plut. de cohib. ira 4 p. 454 οὐκ ἤρεσκεν οὖν μοι καίπερ ἄλλα χρήσιμα λέγων καὶ παραινῶν ὁ Ἱερώνυμος ἐν οἷς οὔ φησι γινομένης, ἀλλὰ γεγενημένης καὶ οὔσης αἴσθησιν ὀργῆς εἶναι διὰ τὸ τάχος. οὐδὲν γὰρ οὕτω τῶν παθῶν συλλεγόμενον καὶ διακινούμενον ἔχει τὴν γένεσιν ἐμφανῆ καὶ τὴν αὔξησιν.

XV. Plut. de cohib. ira 12 p. 460 αὕτη μὲν οὖν ἴσως οὐκ ὀργῆς ἰατρεία φανεῖται, διάκρουσις δὲ καὶ φυλακὴ τῶν ἐν ὀργῇ τινος ἁμαρτημάτων· καίτοι καὶ σπληνὸς οἴδημα σύμπτωμα μέν ἐστι πυρετοῦ, πραϋνόμενον δὲ κουφίζει τὸν πυρετόν, ὥς φησιν Ἱερώνυμος.

XVI. Stob. ecl. eth. 31 in floril. Laurent. II 13, 121 (p. 209 Meinek.) Ἱερωνύμου. Δεῦρο δὴ καὶ σκεψώμεθα περὶ τῆς τῶν παίδων ἀγωγῆς τίνα τρόπον διειλήφασιν οἱ πατέρες· οὐ γὰρ μόνον ἐν τοῖς πρότερον ἀλλὰ καὶ ἐν τούτοις εὑρήσομεν αὐτοὺς οὐ μικρὰ διαφωνοῦντας (τοῖς νῦν vel τοῖς καθ' ἡμᾶς vel tale quid excidisse coni. Meinekius)· οἵτινες πρῶτον μὲν βαρβάροις παραβάλλοντες παιδαγωγοῖς (τὰ παιδί' ἀγωγοῖς coni. Mein.) καὶ τούτων ἀκούειν κελεύσαντες (κελεύοντες coni. Mein.) ἱκανῶς ἐπιμελεῖσθαι νομίζουσιν, ὥσπερ τοῦ κατὰ πόδας ἀκολουθήσοντος (ἀκολουθήσαντος codex, em. Wyttenbach ad Plut. Mor. p. 4 A), ἀλλ' οὐ τοῦ καλῶς ἡγησομένου (ἡγησαμένου cod., em. Wytt.) δεομένων τῶν παιδίων (παίδων cod., em. Mein.), καὶ τοῦ φυλάττοντος (φυλάξοντος coni. Mein.) καθάπερ συβώτου μὴ (μὴ em. Mein., εἰ cod.) πλανηθῇ, ἀλλ' οὐχὶ . . . ('deest quid, forte τοῦ παραινοῦντος vel simile quid' Wytt.). διὸ καὶ τὸν ἐκ τῶν ἐργατῶν ἀποδοκιμασθέντα, τοῦτον ἐπὶ παιδαγωγίᾳ κατατάττουσι, τὰ φύσει τιμιώτατα (τιμιώτερα cod., em. Mein.) τοῖς εὐτελεστάτοις διδόντες. ὅθεν καὶ Περικλῆς, οἰκέτου ποτὲ πεσόντος ἀπὸ ἐλαίας καὶ τὸ σκέλος συντρίψαντος, 'νέος ἄρα' (νέε ὅρα cod., em. C. Fr. Hermann *griech. Privatalterth.* 34, 18) ἔφη 'παιδαγωγὸς πέφηνεν (πέφηνας coni. Wytt.)', οὐκ ἀπιθάνως τῆς ὑπουργίας τὴν ἀτιμίαν σκώψας.

Cf. Hermann l. c. Subabsurdum istud dictum ut Pericli tribueretur, compluribus aliis narratiunculis effici potuit. Pseudoplat. Alcib. I. p. 122 B σοὶ δ', ὦ Ἀλκιβιάδη, Περικλῆς ἐπέστησε παιδαγωγὸν τῶν οἰκετῶν τὸν ἀχρειότατον ὑπὸ γήρως, Ζώπυρον τὸν Θρᾷκα. Plut. Per. 13 ὁ γὰρ ἐνεργότατος καὶ προθυμότατος τῶν τεχνιτῶν ἀποσφαλεὶς ἐξ ὕψους ἔπεσε καὶ διέκειτο μοχθηρῶς ὑπὸ τῶν ἰατρῶν ἀπεγνωσμένος· ἀθυμοῦντος δὲ τοῦ Περι-

κλέους κτλ. Plin. nat. hist. XXII 44 *verna carus Pericli Atheniensium principi, cum is in arce templum aedificaret repsissetque super altitudinem fastigi et inde cecidisset e. q. s.* Laert. IX 82 Θέων δ' ὁ Τιθοραιεὺς ὁ στωικὸς κοιμώμενος περιεπάτει ἐν τῷ ὕπνῳ καὶ Περικλέους δοῦλος ἐπ' ἄκρου τοῦ τέγους.

XVII. Athen. XIII p. 602 A Ἱερώνυμος δὲ ὁ περιπατητικὸς περισπουδάστους φησὶ γενέσθαι τοὺς τῶν παίδων ἔρωτας, ὅτι πολλάκις ἡ τῶν νέων ἀκμὴ καὶ τὸ πρὸς ἀλλήλους ἑταιρικὸν συμφρονῆσαν πολλὰς (oblitus est Athenaeus antea πολλάκις positum esse; an leg. ὅλας?) τυραννίδας καθεῖλε. παιδικῶν (παίδων cod., em. Schweighaeuser) γὰρ παρόντων ἐραστὴς πᾶν ὁτιοῦν ἕλοιτ' ἂν παθεῖν ἢ δειλοῦ δόξαν ἀπενέγκασθαι παρὰ τοῖς παιδικοῖς. ἔργῳ γοῦν τοῦτο ἔδειξεν ὁ συνταχθεὶς Θήβησιν ὑπὸ Ἐπαμεινώνδου ἱερὸς λόχος (cf. Plut. Pelop. 18 sq. Diod. XII 70. Ath. XIII p. 561 F. Polyaenus II 5, 1), καὶ ὁ κατὰ Πεισιστρατιδῶν θάνατος ὑπὸ Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος γενόμενος (haec quoque Athenaeus ipse neglegentius exscripsisse videtur) · περὶ Σικελίαν δ' ἐν Ἀκράγαντι ὁ Χαρίτωνος καὶ Μελανίππου (ἔρως add. Schweighaeuser). Μελάνιππος δ' ἦν τὰ παιδικά, ὥς φησιν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῷ περὶ ἐρωτικῶν. οὗτοι φανέντες ἐπιβουλεύοντες Φαλάριδι καὶ βασανιζόμενοι ἀναγκαζόμενοί τε λέγειν τοὺς συνειδότας οὐ μόνον οὐ κατεῖπον, ἀλλὰ καὶ τὸν Φάλαριν αὐτὸν εἰς ἔλεον τῶν βασάνων ἤγαγον, ὡς ἀπολῦσαι αὐτοὺς πολλὰ ἐπαινέσαντα· διὸ καὶ ὁ Ἀπόλλων ἡσθεὶς ἐπὶ τούτοις ἀναβολὴν τοῦ θανάτου τῷ Φαλάριδι ἐχαρίσατο, τοῦτο ἐμφήνας τοῖς πυνθανομένοις τῆς Πυθίας ὅπως αὐτῷ ἐπιθῶνται· ἔχρησέ τε καὶ περὶ τῶν ἀμφὶ τὸν Χαρίτωνα, προτάξας τοῦ ἑξαμέτρου τὸ πεντάμετρον, καθάπερ ὕστερον καὶ Διονύσιος ὁ Ἀθηναῖος ἐποίησεν ὁ ἐπικληθεὶς χαλκοῦς ἐν τοῖς ἐλεγείοις. ἔστι δὲ ὁ χρησμὸς ὅδε·

εὐδαίμων Χαρίτων καὶ Μελάνιππος ἔφυ,
θείας ἁγητῆρες ἐφαμερίοις φιλότατος·

διαβόητα δ' ἐστὶ κτλ. (sequitur narratio de Cratino et Aristodemo ex Neanthe Cyziceno deprompta.) διὰ τοὺς τοιούτους οὖν ἔρωτας οἱ τύραννοι — πολέμιοι γὰρ αὐτοῖς αὗται αἱ φιλίαι — τὸ παράπαν ἐκώλυον τοὺς παιδικοὺς ἔρωτας, πανταχόθεν αὐτοὺς ἐκκόπτοντες. εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τὰς παλαίστρας ὥσπερ ἀντιτειχίσματα ταῖς ἰδίαις ἀκροπόλεσιν ἐνεπίμπρασάν τε καὶ κατέσκαψαν, ὡς ἐποίησε Πολυκράτης ὁ Σαμίων τύραννος.

Cf. de eiusmodi disputationibus Rohde *der griech. Roman* p. 56 sqq.

Heraclidis narrationem de Charitone et Melanippo, de qua cf. Wolff Porphyr. de phil. ex orac. haur. libr. rell. p. 88 sq., utrum is scriptor, quo Athenaeus usus est, eodem modo quo fragmentum Neanthis cum Hieronymi expositione coniunxerit, an ipse Hieronymus addito Heraclidis testimonio protulerit, non liquet. Sed id certe quod Wolffius statuit, verba illa Μελάνιππος — ἐρωτικῶν ab Athenaeo verbis Hieronymi esse interposita, omni probabilitate caret.

XVIII. Plut. de recta ratione audiendi 18 p. 48 ἕτεροι δὲ προσοχῆς καὶ δριμύτητος ἐν οὐ δέοντι θηρώμενοι δόξαν ἀποκναίουσι λαλιᾷ καὶ περιεργίᾳ τοὺς λέγοντας, ἀεί τι προσδιαποροῦντες τῶν οὐκ ἀναγκαίων καὶ ζητοῦντες ἀποδείξεις τῶν οὐ δεομένων. οὕτως ὁδὸς βραχεῖα γίγνεται μακρά, ὥς φησι Σοφοκλῆς (Antig. 237), οὐκ αὐτοῖς μόνον ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις. ἀντιλαμβανόμενοι γὰρ ἑκάστοτε κεναῖς καὶ περιτταῖς ἐρωτήσεσι τοῦ διδάσκοντος, ὥσπερ ἐν συνοδίᾳ, τὸ ἐνδελεχὲς ἐμποδίζουσι τῆς μαθήσεως ἐπιστάσεις καὶ διατριβὰς λαμβανούσης. οὗτοι μὲν οὖν κατὰ τὸν Ἱερώνυμον ὥσπερ οἱ δειλοὶ καὶ γλίσχροι (λίχνοι coni. Wyttenbach) σκύλακες τὰ δέρματα δάκνοντες οἴκοι καὶ τὰ τίλματα τίλλοντες τῶν θηρίων αὐτῶν οὐχ ἅπτονται.

Plat. Rep. VII p. 539 B οἶμαι γάρ σε οὐ λεληθέναι, ὅτι οἱ μειρακίσκοι, ὅταν τὸ πρῶτον λόγων γεύωνται, ὡς παιδιᾷ αὐτοῖς καταχρῶνται, ἀεὶ εἰς ἀντιλογίαν χρώμενοι, καὶ μιμούμενοι τοὺς ἐξελέγχοντας αὐτοὶ ἄλλους ἐλέγχουσι, χαίροντες ὥσπερ σκυλάκια τῷ ἕλκειν τε καὶ σπαράττειν τῷ λόγῳ τοὺς πλησίον ἀεί. Cf. Wyttenbach ad Plut. de sera num. vind. p. 11.

XIX. Plut. quaest. conv. I 8, 3 p. 626 Λαμπρίας δὲ ὁ ** τὴν Ἱερώνυμον ** οὐκ ἀνέγνωκεν ** εὐφυΐαν ἐμπεσών (Λαμπρίας δὲ ὁ ἀδελφὸς τὴν Ἱερωνύμου μόνον οὐκ ἀνέγνωκεν εὐφυΐαν ἐμπεσών Stephanus, Λαμπρίας δὲ ὁ ἀδελφὸς ἔφη θαυμάζειν εἴ τις τὴν Ἱερωνύμου βίβλον οὐκ ἀνέγνωκεν ἐν ᾗ φησι κατ' Ἐμπεδοκλέα coni. Wyttenbach), ὅτι τοῖς προσπίπτουσιν ἀπὸ τῶν ὁρατῶν εἴδεσι πρὸς τὴν ὄψιν ὁρῶμεν, ἃ πρῶτον μὲν ἀπέρχεται μεγάλα καὶ παχυμερῆ· διὸ τοὺς γέροντας ἐγγύθεν ἐπιταράττει βραδύπορον καὶ σκληρὰν ἔχοντας τὴν ὅρασιν· ἀνενεχθέντων δ' εἰς τὸν ἀέρα καὶ λαβόντων διαστήματα τὰ μὲν γεώδη περιθραύεται καὶ ἀποπίπτει, τὰ δὲ λεπτὰ προσπελάζοντα ταῖς ὄψεσιν ἀλύπως καὶ ὁμαλῶς ἐναρμόττει τοῖς πόροις, ὥστε ἧττον ταραττομένους μᾶλλον ἀντιλαμβάνεσθαι· καὶ γὰρ αἱ τῶν ἀνθῶν ὀσμαὶ πόρρωθεν εὐωδέστεραι προσπίπτουσιν· ἂν δὲ ἐγγύθεν ἄγαν προσάγῃς, οὐχ οὕτω

καθαρὸν οὔτ' ἄκρατον ὀδώδασιν. αἴτιον δὲ ὅτι πολλὰ τῶν γεωδῶν καὶ θολερῶν συναποφέρεται τῇ ὀσμῇ, καὶ διαφθείρει τὴν εὐωδίαν ἐγγύθεν λαμβανομένην· ἂν δ' ἄπωθεν, τὰ μὲν θολερὰ καὶ γεώδη περιρρεῖ καὶ ὑποπίπτει, τὸ δ' εἰλικρινὲς καὶ θερμὸν ὑπὸ λεπτότητος διασώζεται πρὸς τὴν αἴσθησιν.

Cf. Aristot. problem. 31, 25.

XX. Etym. m. (cod. Paris.) 66, 5. Etym. Gud. 36, 13 (cf. Ritschl opusc. philol. I p. 681) ἀλκαία, ἡ οὐρά, κυρίως δὲ ἡ τοῦ λέοντος διὰ τὸ εἰς ἀλκὴν αὐτὸν προτρέπειν· ἔχει γὰρ ἐπὶ τῇ οὐρᾷ κέντρον ὑφ' οὗ παροξύνεται, καθά φησιν Ἱερώνυμος καὶ Ἐπαφρόδιτος ἐν ὑπομνήσει Ἀσπίδος Ἡσιόδου.

Ἡρωδιανὸς pro Ἱερώνυμος non recte coni. Nauckius Philol. V p. 691. Cf. Luenzner Epaphroditi quae supers. p. 16. 45. Schol. B Il. Y 170 (οὐρῇ δὲ πλευράς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν μαστίεται) ἔχει γὰρ ὑπὸ τῇ οὐρᾷ κέντρον μέλαν, ὡς κεράτιον, δι' οὗ ἑαυτὸν μαστίζει (ὑφ' οὗ νυττόμενος πλέον ἀγριοῦται add. man. sec.).

XXI. Laert. I 27 ὁ δὲ Ἱερώνυμος καὶ ἐκμετρῆσαί φησιν αὐτὸν (Thalem) τὰς πυραμίδας, ἐκ τῆς σκιᾶς παρατηρήσαντα ὅτε ἡμῖν ἰσομεγέθεις εἰσί (ἰσομεγέθης ἐστί probabiliter coni. Menagius).

Cf. Plin. nat. hist. XXXVI 12, 82 *mensuram altitudinis earum omnemque similem deprehendere invenit Thales Milesius umbram metiendo qua hora par esse corpori solet.* Plut. septem sap. conv. 2 p. 147 ἐπεὶ σοῦ γε καὶ ἄλλα θαυμάζει, καὶ τῆς πυραμίδος τὴν μέτρησιν ὑπερφυῶς ἠγάπησεν, ὅτι πάσης ἄνευ πραγματείας καὶ μηδενὸς ὀργάνου δεηθεὶς ἀλλὰ τὴν βακτηρίαν στήσας ἐπὶ τῷ πέρατι τῆς σκιᾶς ἣν ἡ πυραμὶς ἐποίει, γενομένων τῇ ἐπαφῇ τῆς ἀκτῖνος δυοῖν τριγώνων, ἔδειξας ὃν ἡ σκιὰ πρὸς τὴν σκιὰν λόγον εἶχε τὴν πυραμίδα πρὸς τὴν βακτηρίαν ἔχουσαν. Zeller I[4] p. 172.

XXII. Laert. VIII 21 φησὶ δ' Ἱερώνυμος κατελθόντα αὐτὸν (Pythagoram) εἰς Ἅιδου τὴν μὲν Ἡσιόδου ψυχὴν ἰδεῖν πρὸς κίονι χαλκῷ δεδεμένην καὶ τρίζουσαν, τὴν δ' Ὁμήρου κρεμαμένην ἀπὸ δένδρου καὶ ὄφεις περὶ αὐτήν, ἀνθ' ὧν εἶπον περὶ θεῶν, κολαζομένους δὲ καὶ τοὺς μὴ θέλοντας συνεῖναι ταῖς ἑαυτῶν γυναιξί· καὶ δὴ καὶ διὰ τοῦτο τιμηθῆναι ὑπὸ τῶν ἐν Κρότωνι.

Postrema qua ratione intellegenda sint, perspicuum est ex iis quae apud Laert. § 41 Hermippus de Pythagora refert: εἰσελθόντα τ' εἰς τὴν ἐκκλησίαν φάσκειν ὡς ἀφῖκται ἐξ Ἅιδου· καὶ δὴ καὶ ἀνεγίνωσκεν αὐτοῖς τὰ

συμβεβηκότα. οἱ δὲ σαινόμενοι τοῖς λεγομένοις ἐδάκρυόν τε καὶ ᾤμωζον καὶ ἐπίστευον εἶναι τὸν Πυθαγόραν θεῖόν τινα κτλ. Praeterea apparet, Hieronymum quoque nugas illas ita tantum commemorare potuisse, ut ab ipso Pythagora prolatas eas fuisse diceret. Iam quarto saeculo, ut elucet ex fragmento Aristophontis apud Laert. § 38, Pythagoras de fabuloso illo itinere nonnulla memoriae prodidisse perhibebatur. Hieronymus utrum ineptias quas supra exscripsi ipse finxerit an ab aliis mutuatus sit, in medio relinquo. Lobeckii autem opinio (Aglaoph. p. 944), Hieronymum eas sumpsisse ex peregrinationis illius descriptione Pythagorae ipsi attributa, admodum dubia esse mihi videtur. Exstitisse librum eius argumenti unum testem habemus Laertium, cuius verba haec sunt (§ 14): οὕτω δ' ἐθαυμάσθη ὥστ' ἔλεγον τοὺς γνωρίμους αὐτοῦ μάντιας θεῶ φωνάς· ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐν τῇ γραφῇ φησι δι' ἑπτὰ καὶ διηκοσίων ἐτέων ἐξ ἀίδεω παραγεγενῆσθαι ἐς ἀνθρώπους· τοιγὰρ καὶ προσεκαρτέρουν αὐτῷ καὶ τῶν λόγων ἕνεκα προσῄεσαν καὶ Λευκανοὶ καὶ Πευκέτιοι Μεσσάπιοί τε καὶ Ῥωμαῖοι. Quorum postrema Aristoxeni esse cognoscitur ex Porph. Vita Pythag. 22; num vero Rohdius illa ἀλλὰ καὶ — ἀνθρώπους eidem recte attribuerit (*Rhein. Mus.* XXVI p. 558), propterea dubito, quia haec ipsa verba conexum sententiarum satis moleste interrumpere mihi videntur. Ceteris locis ubi Pythagorae de his rebus testimonia adferuntur quid de libris nomen eius ferentibus cogitare nos cogat, equidem non video. Itaque γραφή apud Laertium commemorata, si quidem omnino exstitit (nam ipsum illud testimonium fictum esse non posse quis confidenter ausit affirmare?), quo tempore composita sit, prorsus incertum esse existimo.

XXIII. Laert. IX 16 (cf. Heracliti reliq. rec. Bywater p. 60) Ἱερώνυμος δέ φησι καὶ Σκυθῖνον τὸν τῶν ἰάμβων ποιητὴν ἐπιβαλέσθαι τὸν ἐκείνου (Heracliti) λόγον διὰ μέτρου ἐκβαλεῖν.

Insunt sane in Scythini fragmentis philosophiae Heracliteae vestigia: v. Heeren Stob. ecl. II 2 p. 216. Bergk de reliq. com. Att. antiq. p. 308; poet. lyr. Gr. p. 792 ed. III. Schuster in actis soc. philol. Lips. III p. 354 sq. Bywater p. VII et 68.

XXIV. Laert. VIII 57 (descr. Eudocia p. 170) ἐν δὲ τῷ περὶ ποιητῶν φησιν (Aristoteles) ὅτι καὶ Ὁμηρικὸς ὁ Ἐμπεδοκλῆς κτλ., καὶ δὴ ὅτι γρά-

ψαντος αὐτοῦ καὶ ἄλλα ποιήματα τήν τε τοῦ Ξέρξου διάβασιν καὶ προοίμιον εἰς Ἀπόλλωνα, ταῦθ' ὕστερον κατέκαυσεν ἀδελφή τις αὐτοῦ, ἢ θυγάτηρ, ὥς φησιν Ἱερώνυμος, τὸ μὲν προοίμιον ἄκουσα, τὰ δὲ Περσικὰ βουληθεῖσα διὰ τὸ ἀτελείωτα εἶναι.

Hieronymus igitur narrationem Aristotelicam ita exscripsisse videtur, ut non sororem sed filiam Empedoclis carmina illa ignibus tradidisse referret, sive per neglegentiam in describendo commissam, sive consulto, ut aliquid novi ab ipso videretur prolatum esse. Cf. Karsten, Emped. reliq. p. 63, 184.

XXV. Pergit Laert. VIII 58 (cf. Bernays *die Dial. des Aristot.* p. 139) καθόλου δέ φησι καὶ τραγῳδίας αὐτὸν γράψαι καὶ πολιτικά. Ἡρακλείδης δ' ὁ τοῦ Σαραπίωνος ἑτέρου φησὶν εἶναι τὰς τραγῳδίας. Ἱερώνυμος δὲ τρισὶ καὶ τετταράκοντά φησιν ἐντετυχηκέναι, Νεάνθης δὲ νέον ὄντα γεγραφέναι τὰς τραγῳδίας, καὶ αὐτὸς ἔπειτα αὐταῖς ἐντετυχηκέναι.

Hieronymi et Neanthis testimoniis non tribuo tantam auctoritatem, ut quadraginta tres tragoedias Empedocleas ab illis quidem lectas fuisse, ceterum vero densissimis in tenebris iacuisse credam. Nam ex testimonio dialogi de poetis minime colligi potest, exemplaria tragoediarum Empedoclis nomine inscriptarum posterioribus temporibus re vera exstitisse: nihil narratum ibi fuisse legimus nisi tragoedias, quarum numerus non traditur, ab Empedocle philosopho aliquando scriptas esse. At plerique hodie iis assentiuntur, qui duos fuisse eiusdem nominis homines statuerunt, philosophum et tragicum. Ea fuit sententia Heraclidis Lembi ac fortasse iam antea Satyri vel Sotionis (cf. Mueller fragm. hist. III p. 169 sq.); accuratiora legimus apud Suidam: Ἐμπεδοκλῆς, θυγατριδοῦς τοῦ προτέρου, τραγικός· τραγῳδίαι αὐτοῦ κδ', ubi numerus ad eas fortasse tragoedias referendus est quas Neanthes a se lectas esse affirmavit: quamquam etiam licet numerum depravatum habere (Stein, Emped. fragm. p. 6). Notissimum est, quam usitata apud Graecos fuerit ratio illa, qua ad removendam aliquam difficultatem statuebant idem nomen duobus hominibus fuisse. Itaque vel propterea Heraclidis et Suidae sive potius Hesychii Milesii sententia suspiciosa certe videri debet: reiciendam eam esse arbitror propter testimonium ex dialogo de poetis allatum. In eo testimonio ego nihil omnino veri inesse puto; videtur in illo libro etiam fabulosis rebus locus concessus fuisse (cf.

fragm. Aristot. coll. Heitz p. 26 sq.), neque id ab eius consilio alienum fuit. Sed aliud est, fabulosam narratiunculam commemorare, aliud, ignobilis poetae scaenici tragoedias ad clarissimum philosophum turpi errore referre: alterum dialogo attribuere vereor, alterum in eo factum esse non miror. Potuit autem certe, quandoquidem quinto saeculo Epicharmi et Aeschyli fabulas in Sicilia actas fuisse constabat, postea inter innumerabilia illa commenta quibus litterarum Graecarum historia obruebatur etiam ea opinio oriri, iam ante philosophum scaenicum Atheniensem in Sicilia philosophum aliis carminibus nobilissimum tragicae quoque poesi operam dedisse. Atque haec quidem de dialogi testimonio. De ceteris mihi sic statuendum esse videtur: Hieronymum testimonio Aristotelico adductum esse, ut non solum de Empedoclis tragoediis et ipse referret, sed etiam magnum earum numerum se legisse ad ostentandam eruditionem gloriaretur; deinde idem a se factum asseverasse Neanthem, eiusdem fidei scriptorem (v. Mueller III p. 2 sq.), scilicet ne minore quam ille eruditione instructus putaretur, simulque addidisse, Empedoclem adulescentem scripsisse tragoedias (supervacaneam enim existimo Steinii coniecturam, qui ut Neanthem perversitatis crimine liberaret non de adulescente Empedocle sed de iuniore quodam huius nominis homine eum locutum esse censuit); tum aliis incredibile visum esse, philosophum Agrigentinum tragoedias condidisse: ab his igitur facili illo remedio ad solvendam hanc quaestionem adhibito duos Empedocles esse inventos. Quae sententia postquam prolata fuit, proclivis erat coniectura, tragicum philosophi fuisse nepotem.

Ceterum etiam si quis Empedoclem tragicum sibi eripi non patietur, de numero certe tragoediarum ne illum quidem Hieronymo fidem habiturum esse existimo.

XXVI. 1. Plut. Aristid. 27 Δημήτριος δ' ὁ Φαληρεὺς καὶ Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος καὶ Ἀριστόξενος ὁ μουσικὸς καὶ Ἀριστοτέλης, εἰ δὴ τὸ περὶ εὐγενείας βιβλίον ἐν τοῖς γνησίοις Ἀριστοτέλους θετέον, ἱστοροῦσι Μυρτὼ θυγατριδῆν Ἀριστείδου Σωκράτει τῷ σοφῷ συνοικῆσαι, γυναῖκα μὲν ἑτέραν ἔχοντι, ταύτην δ' ἀναλαβόντι χηρεύουσαν διὰ πενίαν καὶ τῶν ἀναγκαίων ἐνδεομένην. πρὸς μὲν οὖν τούτους ἱκανῶς ὁ Παναίτιος ἐν τοῖς περὶ Σωκράτους ἀντείρηκεν.

2. Athen. XIII p. 556 A ἐκ τούτων οὖν τις ὁρμώμενος μέμψαιτ' ἂν τοὺς περιτιθέντας Σωκράτει δύο γαμετὰς γυναῖκας, Ξανθίππην καὶ τὴν

Ἀριστείδου Μυρτώ, οὐ τοῦ δικαίου καλουμένου, οἱ χρόνοι γὰρ οὐ συγχωροῦσιν, ἀλλὰ τοῦ τρίτου ἀπ' ἐκείνου. εἰσὶ δὲ Καλλισθένης, Δημήτριος ὁ Φαληρεύς, Σάτυρος ὁ περιπατητικός, Ἀριστόξενος, οἷς τὸ ἐνδόσιμον Ἀριστοτέλης ἔδωκεν ἱστορῶν τοῦτο ἐν τῷ περὶ εὐγενείας. εἰ μὴ ἄρα συγκεχωρημένον κατὰ ψήφισμα τοῦτο ἐγένετο τότε διὰ σπάνιν ἀνθρώπων, ὥστ' ἐξεῖναι καὶ δύο ἔχειν γυναῖκας τὸν βουλόμενον. ὅθεν καὶ τοὺς τῆς κωμῳδίας ποιητὰς ἀποσιωπῆσαι τοῦτο, πολλάκις τοῦ Σωκράτους μνημονεύοντας. παρέθετο δὲ (τὸ add. Meineke) περὶ γυναικῶν ψήφισμα Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος, ὅπερ σοι διαπέμψομαι εὐπορήσας τοῦ βιβλίου. ἀντεῖπε δὲ τοῖς λέγουσι περὶ τῶν Σωκράτους γυναικῶν Παναίτιος ὁ Ῥόδιος.

3. Laert. II 26 φησὶ δ' Ἀριστοτέλης δύο γυναῖκας αὐτὸν (Socratem) ἀγαγέσθαι, προτέραν μὲν Ξανθίππην, ἐξ ἧς αὐτῷ γενέσθαι Λαμπροκλέα, δευτέραν δὲ Μυρτώ, τὴν Ἀριστείδου τοῦ δικαίου θυγατέρα (θυγατριδῆν falso coni. Menagius, cf. Stob. Flor. LXXXVI 25), ἣν καὶ ἄπροικον λαβεῖν, ἐξ ἧς γενέσθαι Σωφρονίσκον καὶ Μενέξενον· οἱ δὲ προτέραν γῆμαι τὴν Μυρτώ φασιν· ἔνιοι δὲ καὶ ἀμφοτέρας ἔχειν ὁμοῦ, ὧν ἐστι Σάτυρός τε καὶ Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος. φασὶ γὰρ βουληθέντας Ἀθηναίους διὰ τὸ λειπανδρεῖν συναυξῆσαι τὸ πλῆθος ψηφίσασθαι, γαμεῖν μὲν ἀστὴν μίαν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας· ὅθεν τοῦτο ποιῆσαι καὶ Σωκράτην.

Hieronymum in alio libro de Socratis uxoribus exposuisse, in alio plebiscitum attulisse opinio est Luzacii (p. 223. 231), quae neque causam habet neque probabilitatem.

In iis quae de Socratis uxoribus Hieronymus rettulit Aristoxeni auctoritatem eum secutum esse ex Plutarcho colligendum videtur. Cf. Porphyrius apud Theodoretum — qui Aristoxenum a Porphyrio in testimonium vocari dicit — Graec. affect. cur. XII p. 174 et apud Cyrillum contra Iul. VI p. 186 δύο δὲ ἔχειν γυναῖκας ἅμα, Ξανθίππην μὲν πολῖτιν καὶ κοινοτέραν πως, Μυρτὼ δὲ Ἀριστείδου θυγατριδῆν τοῦ Λυσιμάχου (Μυρτὼ δὲ Ἀριστείδου, θυγατριδῆν τοῦ Λυσιμάχου Sylburgius: sed Lysimachus pater fuit Aristidis, itaque ex filio non ex filia neptis Lysimachi Myrto debuit dici). καὶ τὴν μὲν Ξανθίππην προσπλακεῖσαν λαβεῖν, ἐξ ἧς ὁ Λαμπροκλῆς ἐγένετο, τὴν δὲ Μυρτὼ γάμῳ, ἐξ ἧς Σωφρονίσκος καὶ Μενέξενος. Aristoxenus igitur eumque secutus Hieronymus narrasse videntur, Myrto Aristidis neptem fuisse. De eorum sententia qui Myrto filiam iunioris Aristidis fuisse memoriae prodiderunt recte disputavit Heusdius (*Verslagen en Mededeelingen der koninkl. Acad. van Wetensch.* 1858 p. 373),

qui in numero eorum Satyrum fuisse probabiliter statuit. Praeterea ex plebiscito ab Hieronymo allato elucet, duas uxores aeque legitimas Socrati ab eo non esse tributas; neque aliter Aristoxenum de ea re scripsisse veri simile est propter verba Porphyrii. Ergo Athenaeus cum Aristoxenum et Satyrum δύο γαμετὰς γυναῖκας Socrati tribuisse dicit non accurate loqui existimandus est; quae observatio non pertinet ad eos locos quibus δύο γυναῖκες commemorantur. Quo modo orta esset fabula ab Aristoxeno relata, rationibus satis diversis viros doctos explicavisse notum est; meam de hac re sententiam exponere non huius loci esse arbitror: pertinet enim ea quaestio non tam ad Hieronymum Aristoxeni sectatorem quam ad Aristoxeni simulque ad dialogi de nobilitate reliquias tractandas atque interpretandas.

Plebiscitum autem primus protulisse videtur Hieronymus quem Satyrus secutus est; ad hunc fontem referenda sunt etiam Gellii verba (XV, 20) *sive quod duas simul uxores habuerat* (Euripides) *cum id decreto ab Atheniensibus facto ius esset.* De plebisciti sententia Laertius nec plene nec dilucide loquitur. Omissum est id quod necessario addendum fuit: liberis ἐξ ἑτέρας genitis certa quaedam iura tribui; id enim nisi suppleatur, prorsus ridiculam esse decreti sententiam bene intellexit Luzacius p. 79; cf. van den Es de iure famil. apud Athen. p. 4. Praeterea non perspicuum est, utrum γυναικός an ἀστῆς ad verba ἐξ ἑτέρας cogitatione addi Hieronymus voluerit; ad comprobandum duplex Socratis matrimonium utrumque adhiberi potuit, quia Xanthippen civem fuisse nemo unquam negavit. Incredibilia sunt quae Heusdius p. 376 ea de re disseruit. Sed gravior est quaestio, quid omnino de decreto illo statuendum sit. Ac primum quidem monendum est, praeter Hieronymi eorumque qui eum secuti sunt testimonia nulla esse indicia, ex quibus eiusmodi decretum exstitisse probabiliter colligi possit (nam Buermanni argumentationem, *Jahrb. für cl. Philol.* Suppl. IX p. 595, nullam esse facile intellegitur). Iam vero cum vel id ipsum scriptorum silentium satis mirum esset, si decretum re vera factum esset (Mahne de Aristox. p. 84), multo magis mira est decreti sententia, ex qua maritis paelicum usus diserte permissus et quodammodo commendatus fuisse fertur. Quid igitur? credendumne hoc dicamus propter unius Hieronymi auctoritatem? Minime vero. Immo etsi Hieronymum genuino aliquo plebiscito usum vel abusum esse confidenter negare non possum, longe

tamen probabilior mihi videtur sententia eorum, qui plebiscitum omni ex parte dolose fictum esse suspicati sunt.

XXVII. Plut. non posse suaviter vivi sec. Epic. 13 p. 1096 ποῖος γὰρ ἂν αὐλὸς ἢ κιθάρα διηρμοσμένη πρὸς ᾠδὴν ἢ τίς χορὸς εὐρύοπα κέλαδον ἀκροσόφων ἀγνύμενον διὰ στομάτων φθεγγόμενος οὕτως ηὔφρανεν Ἐπίκουρον καὶ Μητρόδωρον, ὡς Ἀριστοτέλη καὶ Θεόφραστον καὶ Ἱερώνυμον καὶ Δικαίαρχον οἱ περὶ χορῶν λόγοι καὶ διδασκαλίαι καὶ τὰ δι' αὐλῶν (τὰ ὑπὲρ αὐλῶν coni. Reiske, τὰ περὶ αὐλῶν Wyttenbach) προβλήματα καὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν;

XXVIII. Vita Soph. 12 γέγονε δὲ καὶ θεοφιλὴς ὁ Σοφοκλῆς ὡς οὐκ ἄλλος, καθά φησιν Ἱερώνυμος περὶ τῆς χρυσῆς στεφάνης. ταύτης γὰρ ἐξ ἀκροπόλεως κλαπείσης κατ' ὄναρ Ἡρακλῆς ἐδήλωσε Σοφοκλεῖ, λέγων τὴν μὴ οἰκοῦσαν οἰκίαν ἐν δεξιᾷ εἰσιόντι ἐρευνῆσαι, ἔνθα (καὶ add. Michaelis) ἐκέκρυπτο. ἐμήνυσε δ' αὐτὴν τῷ δήμῳ καὶ τάλαντον ἐδέξατο· τοῦτο γὰρ ἦν προκηρυχθέν. λαβὼν οὖν τὸ τάλαντον ἱερὸν ἱδρύσατο μηνυτοῦ Ἡρακλέους.

Ante illa περὶ τῆς χρυσῆς στεφάνης aliquid excidisse probabiliter statuit Iahnius; ac facillime quidem post Ἱερώνυμος omitti potuit ἱστορῶν: cf. schol. Theocr. 1, 117 ὥς φησιν Ἴβυκος παριστορῶν περὶ τῆς Ὀλυμπίας φιάλης. 7, 103 ὡς Ἔφορος καὶ Ἀριστόδημος ὁ Θηβαῖος ἐν οἷς ἱστορεῖ περὶ τῆς ἑορτῆς τῶν Ὁμολωίων. schol. Apoll. Rhod. II 159 ὥς φησιν Ἀνδροίτας ὁ Τενέδιος ἐν τῷ περίπλῳ τῆς Προποντίδος, παριστορῶν ὅτι κτλ. In codice Tricliniano qui est inter Parisinos 2711 inepte scriptum est Ἱερώνυμος ἐν τῷ περὶ τῆς χρυσῆς στεφάνης.

Verba τὴν μὴ οἰκοῦσαν οἰκίαν a nullo adhuc editore probabiliter sanata sunt. Ritterus μὴ οἰκοῦσαν ortum esse διττογραφίᾳ perverse statuit; Westermanno videbatur in his verbis ὁμοροῦσαν vel simile quid latere, Bergkio denique et Dindorfio nomen proprium: et Bergkius quidem Μητίχου coniecit, Dindorfius Μίκωνος.

De fano Herculis quod a Sophocle conditum esse Hieronymus tradidit cf. Hesych. μηνυτής· Ἡρακλῆς ἐν Ἀθήναις. Boeckh *die Staatshaush. der Ath.* II² p. 462. C. Keil syll. inscr. Boeot. p. 100. Suspicari licet et fanum et fabulam de eius origine iam ante Sophoclem exstitisse, postea vero hanc fabulam ad poetam pietate insignem a populo esse translatam. Consentit cum Hieronymo Tertull. de an. 46

coronam auream cum ex arce Athenaei perdidissent, Sophocles tragicus somniando redinvenit. Mutatam atque exornatam fabulae formam Cicero exhibet de divin. I 25, 54 *qui cum ex aede Herculis patera aurea gravis surrepta esset, in somnis vidit ipsum deum dicentem qui id fecisset. quod semel ille iterumque neglexit. ubi idem saepius, ascendit in Ariopagum, detulit rem. Ariopagitae comprehendi iubent eum qui a Sophocle erat nominatus; is quaestione adhibita confessus est pateramque rettulit. quo facto fanum illud indicis Herculis nominatum est.* Diversitas narrationis fortasse ipsi Ciceroni tribuenda est rem ex Graeco libro depromptam liberius tractanti (Dettmer de Hercule Att. p. 14); de commemoratione Areopagi cf. Meier et Schoemann *der att. Process* p. 306, 42. Id unum memorabilius videri potest, quod Cicero templum aetate Sophoclis antiquius fuisse narrat.

XXIX. Philod. de rhet. IV 2 col. 16
Ἱερώνυμος δέ φησιν, ἀναγνῶναι μὲν αὐτοῦ (Isocratis) τοὺς λόγους . . . . (ῥᾳδίως suppl. ed. Neap.) δυνήσεσθαί τινα, δημηγορῆσαι δὲ τὴν φωνὴν καὶ τὸν τόνον ἐπαίροντα καὶ ἐν ταύτῃ τῇ κατασκευῇ μετὰ τῆς ἁρμοττούσης ὑποκρίσεως εἰπεῖν οὐ παντελῶς· τὸ γὰρ μέγιστον καὶ κινητικώτατον παρεῖσθαι τῶν ὄχλων· ἄψυχον γὰρ αὐτοῦ καὶ ἀνυπάκουστον εἶναι τὴν λέξιν καὶ οἱονεὶ πρὸς ἕνα τόνον πεποιημένην· τὸ δὲ κεκλασμένον καὶ παντοδαπὸν καὶ ἐπιτάσει τε καὶ ἀνέσει καὶ ταῖς παθητικαῖς ὑπερθέσεσι διειλημμένον ἀποβεβληκέναι, τῇ δὲ λειότητι διὰ παντὸς δουλεύειν.

Dion. Hal. de Isocr. iud. 13
Ἱερώνυμος δὲ ὁ φιλόσοφός φησιν, ἀναγνῶναι μὲν ἄν τινα δυνηθῆναι τοὺς λόγους αὐτοῦ καλῶς, δημηγορῆσαι δὲ τήν τε φωνὴν καὶ τὸν τόνον ἐπάραντα καὶ ἐν ταύτῃ τῇ κατασκευῇ μετὰ τῆς ἁρμοττούσης ὑποκρίσεως εἰπεῖν οὐ παντελῶς· τὸ γὰρ μέγιστον καὶ κινητικώτατον τῶν ὄχλων παραιτεῖσθαι, τὸ παθητικὸν καὶ ἔμψυχον· δουλεύειν γὰρ αὐτὸν τῇ λειότητι διὰ παντός· τὸ δὲ κεκραμένον καὶ παντοδαπὸν ἐπιτάσει τε καὶ ἀνέσει καὶ τὸ ταῖς παθητικαῖς ὑποθέσεσι διειλημμένον ὑπερβεβηκέναι.

Quae iam sequuntur apud Dionysium non exstant: τοιγαροῦν ⟨εὐ⟩ανάγνωστον μὲν εἶναι φωνῆς ὑφειμένης, ἐπαρθείσης δὲ ⟨μή⟩, κἀν ταῖς περιόδοις καὶ π⟨ερι⟩ειλοῦσαν (ita Blass, ⟨προ⟩ειλοῦσαν ed. Neap.) τὸν λέγοντα καὶ τὴν ὑπόκρισιν ἀφαιρουμένην (ἀφαιρουμενου codex, em. Spengel), καὶ σχεδὸν ἐναντίαν τῇ τῶν πολιτικῶν. ⟨τὸ⟩ν (⟨τῶ⟩ν ed. Neap.) δὲ πολιτευομένων ἐπιστατήσοντα δεῖν καὶ δημηγορικὴν κα⟨τα⟩κεχύσθαι (κα⟨τεγ⟩κεχύσθαι ed.

Neap.) λέξιν καὶ μὴ τὴν ἐπιδίφριον καὶ καταψιθυρίζουσαν τὸν λόγον. ὅμοιον γοῦν εἶναι τῷ δασὺ καὶ μέγα περιθέμενον πρόσωπον (προσωπου ut vid. codex) παιδίου φωνὴν ἀφιέναι ⟨καὶ⟩ τὸ τοῖς Ἕλλησι συμβουλεύοντα καὶ πλάσμα καὶ τὴν ἄλλην κατασκευὴν δημηγόρου

περιβαλλόμενον ἐπ' ἀναγνώστου παιδὸς φωνὴν ἀποδεδρακέναι, μήτε τόνον μήτε πάθος μήθ' ὑπόκρισιν δυναμένου φέρειν.

Pergit Dion. καθόλου δέ φησιν αὐτὸν εἰς ἀναγνώστου παιδὸς φωνὴν καταδύντα μήτε τόνον μήτε πάθος μήτε ὑπόκρισιν δύνασθαι φέρειν.

Prioris partis genuina forma haec fuisse videtur: ἀναγνῶναι μὲν ἄν τινα δυνηθῆναι τοὺς λόγους αὐτοῦ καλῶς, δημηγορῆσαι δὲ τὴν φωνὴν καὶ τὸν τόνον ἐπάραντα καὶ ἐν ταύτῃ τῇ κατασκευῇ μετὰ τῆς ἁρμοττούσης ὑποκρίσεως εἰπεῖν οὐ παντελῶς. τὸ γὰρ μέγιστον καὶ κινητικώτατον τῶν ὄχλων παρεῖσθαι, τὸ παθητικὸν καὶ ἔμψυχον· ἄψυχον γὰρ αὐτοῦ καὶ ἀνυπάκουστον εἶναι τὴν λέξιν καὶ οἱονεὶ πρὸς ἕνα τόνον πεποιημένην· τὸ δὲ κεχραμένον καὶ παντοδαπὸν ἐπιτάσει τε καὶ ἀνέσει καὶ τὸ ταῖς παθητικαῖς ὑπερθέσεσι διειλημμένον ἀποβεβληκέναι, τῇ δὲ λειότητι διὰ παντὸς δουλεύειν.

Cf. Spengel, *Abh. der phil.-hist. Kl. der bayer. Akad.* III 1 p. 275 sqq. Blass *die att. Bereds.* II p. 111. 185 sq.

XXX. Cic. Or. 56, 190 *elegit ex multis Isocrati libris triginta fortasse versus Hieronymus peripateticus imprimis nobilis, plerosque senarios, sed etiam anapaestos; quo quid potest esse turpius? etsi in eligendo fecit malitiose: prima enim syllaba dempta in primo verbo sententiae postremum ad verbum primam rursus syllabam adiunxit insequentis; itaque factus est anapaestus is, qui Aristophanius nominatur; quod ne accidat, observari nec potest nec necesse est. sed tamen hic corrector in eo ipso loco, quo reprehendit, ut a me animadversum est studiose inquirente in eum, immittit imprudens ipse senarium.*

Hieronymum in tractanda hac re non minus neglegentem quam malignum fuisse ostendit Spengelius art. scriptt. p. 152 sq. Cf. Blass *die att. Bereds.* II p. 136. Ex Ciceronis loco fluxit commemoratio Hieronymi apud Rufinum de num. orat. p. 573 Keil. *de compositione et numeris et pedibus oratoriis, ut Cicero dicit, isti scripserunt apud Graecos: Thrasymachus, Naucrates* e. q. s., *Hieronymus.*

XXXI. Plut. Ages. 13 (regum et imperat. apophthegm. p. 191. apophth. Lacon. p. 209) ἐν μὲν οὖν τοῖς πλείστοις τοιοῦτος ὑπὲρ τῶν φίλων

ὁ Ἀγησίλαος· ἔστι δὲ ὅπου πρὸς τὸ συμφέρον ἐχρῆτο τῷ καιρῷ καὶ μᾶλλον, ὡς ἐδήλωσεν, ἀναζυγῆς αὐτῷ θορυβωδεστέρας γενομένης, ἀσθενοῦντα καταλιπὼν τὸν ἐρώμενον. ἐκείνου γὰρ δεομένου καὶ καλοῦντος αὐτὸν ἀπιόντα μεταστραφεὶς εἶπεν· 'ὡς χαλεπὸν ἐλεεῖν ἅμα καὶ φρονεῖν'. τουτὶ μὲν Ἱερώνυμος ὁ φιλόσοφος ἱστόρηκεν.

In initio huius loci corruptum est illud τῷ καιρῷ καὶ μᾶλλον vel, quod in apophth. Lacon. legitur, τῷ καιρῷ μᾶλλον, neque magis aptum τῷ ἑταιρικῷ μᾶλλον quod Emperius proposuit: nam Agesilaus in iis quae ab Hieronymo narrantur neque temporis opportunitate neque amico animo magis usus est; fortasse legendum τῷ καρτερικῷ μᾶλλον.

XXXII. Athen. II p. 48 B ἤκμασε δ' ἡ τῶν ποικίλων ὑφὴ μάλιστα ἐντέχνων περὶ αὐτὰ γενομένων Ἀκεσᾶ καὶ Ἑλικῶνος τῶν Κυπρίων. ὑφάνται δ' ἦσαν ἔνδοξοι. καὶ ἦν Ἑλικὼν υἱὸς Ἀκεσᾶ, ὥς φησιν Ἱερώνυμος· ἐν Πυθοῖ γοῦν ἐπί τινος ἔργου ἐπιγέγραπται

τεῦξ' Ἑλικὼν Ἀκεσᾶ Σαλαμίνιος, ᾧ ἐνὶ χερσὶ
πότνια θεσπεσίην Παλλὰς ἔτευξε χάριν.

τοιοῦτος ἦν καὶ Παθυμίας ὁ Αἰγύπτιος.

Cf. O. Mueller *Archaeol.* 13, 1. Brunn *Gesch. der griech. Künstler* II p. 12 sq. Rhodiorum civitas sago ab Helicone facto Alexandrum donavit, teste Plutarcho Alex. 32 ἐπιπόρπωμα δὲ ἐφόρει τῇ μὲν ἐργασίᾳ σοβαρώτερον ἢ κατὰ τὸν ἄλλον ὁπλισμόν· ἦν γὰρ ἔργον Ἑλικῶνος τοῦ παλαιοῦ, τιμὴ δὲ τῆς Ῥοδίων πόλεως, ὑφ' ἧς ἐδόθη δῶρον: quo loco Heliconem Rhodium appellari non recte dicit Leutschius ad Zenob. I 56. Aliam atque Hieronymus de his artificibus, quorum memoria omnino incerta fuisse videtur, famam Zenobius sequitur l. c. Ἀκεσέως καὶ Ἑλικῶνος ἔργα, ἐπὶ τῶν θαύματος ἀξίων· οὗτοι γὰρ πρῶτοι τὸν τῆς Πολιάδος Ἀθηνᾶς πέπλον ἐδημιούργησαν, ὁ μὲν Ἀκεσεὺς γένος ὢν Παταρεύς, ὁ δὲ Ἑλικὼν Καρύστιος. Falsam prioris nominis formam Diogenianus exhibet II 7 Ἀκεσαίου καὶ Ἑλικῶνος ἔργα κτλ. Opinionem Zenobii reiciendam esse propter epigramma ab Hieronymo appositum censet Brunnius; verum fortasse non ab ipso Acesa sed postea demum epigramma texturae adiectum erat.

XXXIII. De morbis vel mortibus deorum similisve generis argumento Hieronymi testimonium apud Arnobium adv. nat. IV 25 prolatum fuisse videtur. In codice exstat nomen *Heronymus*; cf. Reifferscheid ad p. 162, 11.

XXXIV. Clem. Al. Protr. 2, 30 Ἡρακλέα οὖν καὶ αὐτὸς Ὅμηρος θνητὸν οἶδεν ἄνθρωπον. Ἱερώνυμος δὲ ὁ φιλόσοφος καὶ τὴν σχέσιν αὐτοῦ ὑφηγεῖται τοῦ σώματος, μικρόν, φριξότριχα, ῥωστικόν· Δικαίαρχος δὲ σχιζίαν, νευρώδη, μέλανα, γρυπόν, ὑποχαροπόν, τετανότριχα.

μακρόν pro μικρόν legendum esse censuit Hoeschelius; sed fortasse abusus erat Hieronymus verbis Pindari Isthm. 3, 71 καίτοι πότ' Ἀνταίου δόμους Θηβᾶν ἀπὸ Καδμειᾶν μορφὰν βραχύς, ψυχὰν δ' ἄκαμπτος προσπαλαίσων ἦλθ' ἀνὴρ κτλ. υἱὸς Ἀλκμήνας. Cf. Welcker *griech. Götterl.* II p. 765, 39. De Herculis capillis v. O. Mueller *Archaeol.* 410, 2.

XXXV. Schol. B Il. Λ 5 Ἱερώνυμός φησι τὸν Τιθωνὸν αἰτήσασθαι ἀθανασίαν παρὰ τῆς Ἠοῦς, οὐ μέντοι καὶ ἀγηρασίαν· ὡς δὲ πολλῷ τῷ γήρᾳ χρώμενος ἐδυσφόρει, αἰτήσασθαι θάνατον· τὴν δὲ ἀδυνατοῦσαν εἰς τέττιγα αὐτὸν μεταβαλεῖν, ὅπως ἥδοιτο διηνεκῶς τῆς φωνῆς ἀκούουσα.

(Eustath. p. 825 φασὶ δὲ Ἱερώνυμόν τινα ἱστορεῖν ὅτι Τιθωνὸς κτλ. Hinc legitur apud Eudoc. p. 395 Ἱερώνυμος δὲ ὁ ἱστορικὸς ἱστορεῖ ὅτι Τιθωνὸς κτλ.)

Schol. A: αἰτήσασθαι δὲ τὸν Τιθωνὸν παρὰ τῆς Ἠοῦς ἀθανασίαν· ὁ δὲ γέρων γενόμενος — διὰ γὰρ ἄγνοιαν οὐκ ᾐτήσατο καὶ ἀγηρασίαν — ἀχθόμενος καὶ τῶν ἐν βίῳ μὴ δυνάμενος μεταλαμβάνειν παρεκάλει τὴν θεόν, ὅπως αὐτὸν τοῦ ζῆν μεταλλάξῃ· ἡ δὲ — οὐ γὰρ ἦν αὐτὸν δυνατὸν ἀποθανεῖν — μετέβαλεν εἰς τέττιγα τὸν μουσικώτατον τῶν πτηνῶν, ὅπως καὶ διὰ τῆς φωνῆς αὐτοῦ τέρποιτο διηνεκῶς ἀκούουσα.

Hieronymo Aegyptio cuius mentio fit apud Iosephum et fortasse apud Damascium sine ulla probabilitate haec tribuit Goebelius (*Jahrb. f. class. Philol.* 1866 p. 164). Peripateticum fabulas ad deos et heroes pertinentes nonnumquam commemorasse ostendunt fragm. XXXIII et XXXIV; praeterea cf. Luzac p. 177, 9. Zenob. VI 18 ἱστορεῖται ὅτι Τιθωνὸς κατ' εὐχὴν τὸ γῆρας ἀποθέμενος τέττιξ ἐγένετο, ὥς φησι Κλέαρχος ἐν τῷ περὶ βίων. Clearchus apud Ath. I p. 6 B Τιθωνοῦ Μελάνθιος ἔοικε βουλεύσασθαι βέλτιον· ὁ μὲν γὰρ ἀθανασίας ἐπιθυμήσας ἐν θαλάμῳ κρέμαται, πάντων ὑπὸ γήρως ἐστερημένος τῶν ἡδέων κτλ. (cf. Ath. XII p. 548 F). Cic. Cato mai. 1, 3 *omnem autem sermonem tribuimus non Tithono, ut Aristo Ceus: parum enim esset auctoritatis in fabula* e. q. s. Philodemus de piet. (cf. Buecheler, *Jahrb. f. class. Philol.* 1865 p. 516) καὶ Ἀκουσίλαος Τιθωνὸν μὲν κτλ.

Fabulam de Tithono fusius ita narratam ut ab Hieronymo prolata esse dicitur apud antiquiores scriptores non inveni. Tithonum in cicadam conversum, de qua fabula disputaverunt Prellerus *griech. Mythol.* I[3] p. 360 et Welckerus *griech. Götterl.* I p. 686, ignorant auctor hymni Homerici in Venerem vs. 218 sqq. et Mimnermus apud Stob. Flor. CXVI 33; cf. etiam Aristoph. Ach. 688. Philonid. apud Poll. III 18. Rettulerat hanc fabulam ante Clearchum Hellanicus: schol. A Il. Γ 151 μακρῷ δὲ βίῳ δαπανηθέντος ἐκείνου μετέβαλεν αὐτὸν εἰς τέττιγα ἡ θεός κτλ. ἱστορεῖ Ἑλλάνικος.

Restat ut eorum locorum mentionem faciam qui Hieronymo Rhodio non recte adscripti sunt.

Ac primum quidem Luzacius (p. 231) tribuendos ei esse putavit hos duos locos Athenaei: V p. 206 E γράφει οὖν ὁ Μοσχίων οὕτως· Διοκλείδης μὲν ὁ Ἀβδηρίτης θαυμάζεται ἐπὶ τῇ πρὸς τὴν Ῥοδίων πόλιν ὑπὸ Δημητρίου προσαχθείσῃ τοῖς τείχεσιν ἑλεπόλει κτλ., καὶ Ἱερώνυμος ἐπὶ τῇ κατασκευῇ τῆς ἁρμαμάξης ᾗ συνέβαινε κατακομισθῆναι τὸ Ἀλεξάνδρου σῶμα. p. 217 E Περδίκκας τοίνυν πρὸ Ἀρχελάου βασιλεύει, ὡς μὲν ὁ Ἀκάνθιός φησι Νικομήδης ἔτη τεσσαράκοντα ἕν, Θεόπομπος δὲ τριάκοντα πέντε, Ἀναξιμένης τεσσαράκοντα, Ἱερώνυμος εἴκοσιν ὀκτώ, Μαρσύας δὲ καὶ Φιλόχορος εἴκοσι τρία. Sed uterque locus, ut recte intellexit Brueckneruss, *Ztschr. f. d. Alterthumswiss.* 1842 p. 257, ex Hieronymi Cardiani historiis petitus est. De priore cf. Reuss *Hieronymos von Kardia* p. 103. Alterum Rhodio iterum assignavit C. Muellerus fragm. hist. Gr. II p. 452. Putat enim, ad illius περὶ ποιητῶν libros propterea eum referendum esse, quia Hieronymi testimonium eo loco ab Athenaeo adferatur ubi de Agathonis tragici apud Archelaum versati temporibus disputet; quam argumentationem falsam esse nemo negabit, qui totam quae apud Athenaeum exstat disputationem accurate perlegerit. Contraria sententia eam ob causam pro vera habenda est, quia auctor illius disputationis (quae ex Herodici Babylonii libro πρὸς τὸν Φιλοσωκράτη sumpta est) de numero annorum quos Perdiccas regnaverit historicos, non philosophos in testimonium vocat. Neque quidquam obstat, quo minus statuamus, Hieronymum Cardianum data occasione de antiquiorum Macedoniae regum temporibus disseruisse (v. Brueckner p. 259 sq.), sicut eum de antiquitatibus Romanis obiter exposuisse testatur Dionysius Halic. Antiq. Rom. I 6.

Nec minus recte ad Cardianum a Muellero (p. 453) tres Strabonis loci relati sunt, quos Rhodio Westermannus (ad Voss. de histor. Gr. p. 83) assignaverat. VIII p. 378 sq. τὴν δὲ τοποθεσίαν τῆς πόλεως (Corinthi), ἐξ ὧν Ἱερώνυμός τε εἴρηκε καὶ Εὔδοξος καὶ ἄλλοι, καὶ αὐτοὶ δὲ εἴδομεν, νεωστὶ ἀναληφθείσης ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων, τοιάνδε εἶναι συμβαίνει. IX. p. 443 Ἱερώνυμος δὲ τῆς πεδιάδος Θετταλίας καὶ Μαγνήτιδος τὸν κύκλον τρισχιλίων ἀποφαίνεται σταδίων· ᾠκῆσθαι δ' ὑπὸ Πελασγῶν· ἐξελαθῆναι δὲ τούτους εἰς τὴν Ἰταλίαν ὑπὸ Λαπιθῶν· εἶναι δὲ τὸ νῦν καλούμενον Πελασγικὸν πεδίον, ἐν ᾧ Λάρισα καὶ Γυρτώνη καὶ Φεραὶ καὶ Μόψιον καὶ Βοιβηὶς καὶ Ὄσσα καὶ Ὁμόλη καὶ Πήλιον καὶ Μαγνῆτις. X p. 475 Ἱερώνυμος δὲ μῆκος (Cretae) δισχιλίων (σταδίων) φήσας, τὸ δὲ πλάτος ἀνώμαλον, πλειόνων ἂν εἴη λέγων τὸν κύκλον ἢ ὅσων Ἀρτεμίδωρος. Westermanno assensus est Brueckneruns, hoc ille usus argumento, quod tribus quos attuli locis nudum Hieronymi nomen legitur, Strabo autem XIV p. 655 peripateticum inter illustres Rhodios commemorat. Neque vero quidquam hac re comprobari potest: nam satis constat, in adferendis tribus illis Hieronymi fragmentis Strabonem alius scriptoris auctoritate niti: v. Reuss p. 151. Niese, *Rhein. Mus.* XXXII p. 281 sqq. Accuratae autem mensurarum definitiones quas duo posteriora fragmenta praebent non Rhodio sed Cardiano convenire videntur: cf. Reuss p. 90 sqq. Quibus locis historiarum Cardiani posita fuerint tria fragmenta a Strabone servata, satis facile conici potest: v. Reuss p. 107.

Ea denique quae leguntur apud Damascium de primis princip. p. 381 τοιαύτη μὲν ἡ συνήθης Ὀρφικὴ θεολογία, ἡ δὲ κατὰ τὸν Ἱερώνυμον καὶ Ἑλλάνικον, εἴπερ μὴ καὶ ὁ αὐτός ἐστιν, οὕτως ἔχει, ubi Hieronymum Rhodium commemorari arbitratus erat Tiedemannus (*Griechenlands erste Philos.* p. 61), ad Hieronymum Aegyptium (Ios. Ant. Iud. I 3, 6. 9) a Muellero (p. 450), Schustero (de veteris Orph. Theog. indole atque orig. p. 100), Zellero (I p. 84) summa cum probabilitate sunt relata.

MISCELLANEA EPIGRAPHICA

SCRIPSIT

FRIDERICUS BLASS

Diem festum agitaturo Tibi, praeceptor summe venerande, cum et ipse aliquid offerre ex studiis nostris petitum vehementer cuperem, non iniucundam materiem praebere mihi visa est ea disciplina, qua non alia magis novis in dies incrementis nunc augetur, epigraphicen dico. In qua licet multi studium atque operam ponant, tamen relinquitur semper locus vacuus: ita amplus est campus, idemque bonam frugem paene omnibus suis partibus uberrime reddit. Itaque Tuum nunc exemplum secutus, quem omnes sciunt quam multa ex his studiis ad linguam antiquitatemque Graecam melius cognoscendam deprompseris et nobiscum communicaveris, inscriptionum Graecarum sive recens sive pridem repertarum locos quosdam perlustrabo. Non est magni moliminis opera mea: parva sequor; sed haec parva neque Te contempturum scio neque quemquam qui Hesiodeum illud didicerit: εἰ γάρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο καὶ θάμα τοῦτ᾽ ἔρδοις, μέγα κεν τάχα καὶ τὸ γένοιτο.

§ 1 Probe novisti, credo, splendidum illud opus, quod ante hos paucos annos vir doctissimus Heuzey de itinere suo in Macedoniam finitimasque regiones facto edidit. Insunt ibi non pauci tituli Thessalici antea incogniti, e quibus unus licet brevissimus non indignus esse videtur, a quo nunc initium capiam. Legitur sub anaglypho Larissae reperto litteris vulgaribus scriptum: ΘΕΟΙΣΜΕΓΑΛΟΙΣΔΑΝΑΑΤΘΟΝΕΙΤΕΙΑ (nr. 188 p. 419 H.). Editor explicat: Θεοῖς μεγάλοις Δανάα Τθονειτεία.

At vide sis num melius sic: Θ. μ. Δανᾶ Ἀτθονειτεία. Nam Δανᾶ fit ex Δανάα ut Ἀθηνᾶ ex Ἀθηνάα, Φώκα lesbiacum e Φώκαα. Ita iam patris nomen quod additur magis Graecam speciem habet. Nondum autem id unde ortum sit intellegitur: itaque ulterius progressus Ἀτθόνειτος idem esse dico atque Ἀφθόνειτος Ἀφθόνητος; hoc enim nomen in aliis titulis Thessalicis plus semel exstat (v. C. I. Gr. 1767; ap. Leakium nr. 187; ap. Heuzeyum nr. 208). Num igitur editor male legit? Haud puto; sed dialecti proprietate φθ transire poterat in τθ, perinde ut Creticum oppidum et Λύκτος audiebat et Λύττος. Sed ad eam sententiam confirmandam aliis exemplis eisque Thessalicis opus esse video. Habemus in titulo Crannonio a Leakio edito (nr. 149), quo in Leontem Matropolitam honores conferuntur, v. 15: (ἔδοξε τοῦ κοινοῦ τᾶς πόλιος [ἐπαινεῖσθαι] Λίοντα) ΕΤΤΑ ΠΡΟΑΝΓΡΕΣ.., quod a Keilio sic scribitur: ἐ[πὶ]τᾶ προανγρέσ[ει. Recte quod ad sensum; sed nonne ἐττᾶ προανγρέσει (προανγρέσι) idem esse potest? Ita ex ΠΤ factum est ΤΤ, vocali in fine praepositionis ut in aliis saepissime fit abiecta: eadem proprietas quam supra significavi agnoscitur. Vide nunc alterum titulum qui in eodem lapide scriptus est; in cuius extremo versu Leakius legit: ΤΤ..ΚΟΙΝΑΟΥΝΠΟΟΟΔΟΥΝ. Ahrens sic: (καὶ τὸ ἐν ταῦτα | γενόμενον ὀνάλουμα δόμεν .... | .... ἐς] τ[άουν] κοινάουν ποθόδουν; Keilius autem: (καὶ τὸ ἐν τὸν κίονα γ|ενόμενον ὀνάλουμα δόμεν — — ἐκ] τ[άουν] κοινάουν ποθόδουν. Sed primum τάουν male me habet; nam ne Boeoti quidem τάων dicebant sed τᾶν, sicut Lesbii in dativo numquam τοῖσι ταῖσι sed τοῖς ταῖς; itaque τ[ᾶν] reponendum et duabus litteris spatium, quod duarum Leakius esse testificatur, explendum. Deinde autem quidni τὸν ἐ]ττ[ᾶν] κοιν. π. (h. e. τὸν ἐπὶ τῶν κοινῶν προσόδων)? — Apocope afficiebatur apud eosdem Thessalos etiam περί praepositio; legitur enim in Larissaeo nr. 21 Ussing. (nr. 1233 Le Bas): ... | Αὐτονόειο[ς | ὀνέθεικε | τοῦ (ΤΟΝ U.) Ποτειδο[ῦ|νι πὲρ τοῖ πα[ι|δ[ὸ]ς [Λ . Ξ Ussing.) Αὐτονόο[ι [1]). Quod ad sensum attinet, πέρ pro ὑπέρ est, sicut apud Lesbios.

§ 2 Pergo ad alium titulum Heuzeyi (nr. 202): Φαρσάλι]οι ἀνεθείκαιν (quae forma valde memorabilis) | εὐξάμ]ενοι Διὶ Σουτεῖρι | ταγ]ευόντουν | ...ΙΙΑΟΣ Βλιχανείου | .... μάχου Σχολλείου | ...ΙΛΕΑΟΣ Ἀστονοείου |

---

[1]) Ποτειδοῦνι ὑπὲρ τοῖ πα[τρός (hoc cum Ussingio) scripsit Guil. Wald in dissert. quae inscribitur Additamenta ad dial. et Lesbiorum et Thess. cognosc., p. 35 sq.; τὸν Ποτείδα[ν ὑπὲρ τοῖ πα[ῖ]δος] K. Keilius (Inscr. Thessalicae tres, Numburg. 1857).

. . . . ου Μεννείου | Ἀντι]όχου Δυνατείου. Vides duorum nominum genetivos in ΑΟΣ desinentes, quae nomina non possunt fuisse nisi primae declinationis; alterum in — ίας, alterum in — κλέας more Thessalico finiri videtur. Sed eidem Pharsalii Εὐμειλίδα dicebant in genetivo, teste titulo nr. 200 H. Itaque antiquum — αο, quod conservabant Boeoti, Thessali modo contrahebant sicut Lesbii, modo adiecta Σ littera augebant. Ipsum — αο exstare videtur in Ἑρμᾶο χθονίου (Crannon. Leake nr. 150); sed recte Ussingius, credo, Ἑρμάου χθ., quod ipse legit in duobus Larissaeis, illic quoque restituendum censuit, cui rei spatium tituli minime adversatur. Ἑρμάου dativus est ab Ἑρμάος Ἑρμαῖος (Ἑρμάν i. e. Ἑρμάων formam scis esse in Andaniensi neque in eo solo); legitur alibi consimilis formula θεοῖς καταχθονίοις, neque genetivo locus esse videtur. Contra eo casu mortui nomen interdum ponitur: nr. 210 H. Ἀλεξάνδρου, 208 ΑΦΘΟΝΕΤΩ | ΜΑΝΙ+ΕΩ, Ἀφθονείτω Μανιχείω. Eum titulum circa initia IV. saeculi exaratum esse ex scripturae ratione collegeris: quo tempore Thessalicum ου nondum omnia occupata habuisse videmus [1]. Inventus autem est eis locis, quibus olim Thetideum Pharsaliorum fuit.

Longe amplissimus titulus inter Heuzeyanos Pharsalius est nr. 200, § 3 cuius maior pars mera nomina continet eorum, in quos ius civitatis conferebatur. In eis nominibus saepissime usu venit vulgare illud, ut Σ littera insequente consonanti duplicetur: Κολύσστας, Ἀσσκλαπιάδας, Ἀσστομείδεις, postremo etiam ΕὔδαμοσσΚλεοθοίνειος; neque tamen certa ratio cernitur, cum alio versu Γασστρούνειος sit, Γαστρούνειος proximo. Eam consuetudinem praeter Aeolicos Doricosque ne ab Atticis quidem titulis alienam vir clarissimus Boeckhius ad diversam pronuntiandi rationem rettulit (ad C. I. Gr. nr. 25): nempe ut pinguiorem sonum elementi σ, similem eius quem nos in vernacula lingua litteris *sch* significamus, scribendo exprimerent, ad duplicandum σ vulgo confugisse. Quae coniectura adeo multorum adsensu comprobata est, ut verendum sit ne audacior videar, qui eam audeam inpugnare [2]. Sed primum velim mihi dicat

---

[1]) Cf. Κιερείων i. e. Κιεριήων Κιεριέων (a Κιεριεύς) in nummis (Ahrens I, 220; Sallet *Ztschr. f. Numism.* VII, 12).

[2]) Contradixit unus quod sciam E. Beermann (de dial. Boeot. p. 50), qui acutiorem sonum σ elementi ea scriptura designari putat, qualem esse voluerint Romani scribentes *xs* pro *x*, *caussa* pro *causa*.

aliquis, quid rei sit omnino sono *š* (ita enim nunc scribunt viri docti) cum scriptura σσ; neque enim pronuntiando umquam *š* evadet, licet sonum σ quam diu velis continues. Unde igitur factum est, ut Graeci lapicidae, locis temporibus longissime separati, omnes ubique eam potissimum rationem soni *š* imitandi eligerent, qua perversior vix esse potest? Neque enim invento novo signo opus erat: acceperant a Phoenicibus traditam σάν litteram, quae apud illos ei usui inserviebat; utebantur et M et Σ litteris Graeci antiquitus, sed initio M sola ad omne *s* exprimendum; abiecerunt deinde illam et ϟ Σ introduxerunt; alterutra semper contenti fuerunt. Cur, si duo soni exstabant? Nemo facile dixerit. Porro cui credibile esse potest, ἔσστησα *eštesa* Graecos pronuntiavisse, at in coniunctivo στήσω *steso*? Nam in principio vocabulorum numquam σ duplex reperitur, nonnumquam in extremis, in mediis potissimum. Attica exempla ponam ex C. I. A. vol. II collecta: 272 εἰσστὴν, εἰσστὸ 573[b], Λέσσβου 52[c] (saec. IV), γράψασσθαι 320, ἐσστήλει 369, ἐσστεφάνωσαν 567, φιλοτίμωσσκαὶ 603 (saec. III). Num credis, propter haec pauca exempla Atheniensibus quarti tertiique saeculi eum sonum vindicandum esse, qui ne hodie quidem in communem Graecorum linguam receptus est? Sin minus, alia explicatio quaerenda est, quae si reperta erit, ad reliquarum quoque gentium exempla iudicanda eadem valebit. Itaque hoc quidem facile mihi concedes, eandem esse rationem scripturae εἰσστήν atque ἐκκτῶν (C. I. A. II, 314)[1]), similiterque scribi Κολύσστας atque Ἕκκτωρ (quod exstat in vase antiquo Corinthio ap. Wachsmuthium Mus. Rhen. XVIII p. 580). Ἐκκτῶν autem et Ἕκκτωρ eam pronuntiandi rationem imitantur, qua κ littera utriusque syllabae communis est: neque Ἕκ-τωρ prorsus pronuntiabant neque Ἕ-κτωρ, sed quasi Ἕκ-κτωρ. Ita εἰστήν quoque et Λέσβου *eis-sten*, *Les-sbou* erant, sicuti nos in lingua vernacula neque *Kis-te* pronuntiamus neque *Ki-ste*, sed *s* litteram et cum vocali quae antecedit arcte coniungimus et cum consonanti quae insequitur. Omnino consuetudo ista duplicandi consonantes inde provenit, quod syllabatim vocabula dirimere in docendis discendisque elementis consuerant; nam συλλαβή nomen ipsum perquam antiquum est. Ita reperiebant, neque θά-λα-τα neque θά-λατ-α ad verum sonum quadrare, sed quod medium inter

---

[1]) Cf. ἐκκτελέσαντι in antiquo Thisbensi Ἀθήν. IV p. 378.

utrumque esset; γρά-ψασ-σθαι quoque interdum verius videbatur, sed id apud Atticos usu minus probatum est, magis apud ceteras gentes. Revera autem Graecis parum constitisse, utrum σ littera insequente consonanti priori an posteriori syllabae attribuenda esset, certissimis argumentis demonstratur. Inspice libros manuscriptos antiquissimos in Aegypto repertos, in quibus scis eum morem obtinere, ut singuli versus semper integris syllabis finiantur. Reperies modo ἔ-στω scriptum esse, modo ἔσ-τω; illam rationem alter Hyperidis librariorum secutus est, hanc alter; cui addas eum qui breviarium illud astronomiae scripsit, quod inter papyros a Parisiensibus editos primo loco positum est. Inscriptionum quoque Macedonica Romanave aetate exaratarum multae ad eandem normam scriptae sunt (quam ad rem editores interdum parum animadverterunt): in eis saepissime Σ ab insequente consonanti dirempta est (C. I. Gr. 2448 II, 5 ὥσ|τε, III, 30 πορευέσ|θων; V, 20 ἔσ|τω; 3595 εὔξασ|θαι, 3596 ἐπέσ|ταλκεν, 2167[d] ἐπικυδέσ|τερον, 2338, 96 ἕκασ|τος)[1]. Cyprios autem, quorum signa non elementa significabant sed syllabas, videmus ad eam partem inclinasse, ut σ priori syllabae attribuerent; eius enim vocalem addunt. Μι-σθῶν apud illos *mi-so-to-ne* erat, μισ-θῶν *mi-si-to-ne*; hoc constanter scribitur. Denique Sextus Empiricus (p. 638 Bk.) inter grammaticos disceptari ait, utrum rectius Ἀρι-στίων an Ἀρισ-τίων in dirimendo scribatur. Quae cum ita sint, noli dubitare, quin scripturae quales sunt Κολύσστας γράψασσθαι non peregrinum aliquem sonum σ litterae significent, sed eam pronuntiationem, quae Graecis nobiscum communis erat, fideliter imitentur. Unum addo, videri notissima illa Ὀλυνπία, ἐνγύς ex eadem consuetudine syllabatim dirimendi provenisse; lapicida enim, qui separatim primum ἐγ, deinde γύς exarandum sibi proponebat, facile priorem syllabam ea littera finiebat, quae ex lege Graecae linguae una inter nasales ante pausam poni potest. Accedebat, quod pronuntiatione non magis quam apud nos fit verum atque certum μ in fine syllabae exprimebatur, de qua re Marius Victorinus (VI, 16 K.) testis est. Mitto

---

[1]) Lex versus syllaba integra finiendi observatur etiam in parte inscriptionum navalium Atticarum, in quarum una nuper inventa (*Mittheil. d. archaeol. Inst.* IV, 79) et δικα|στήριον est (A II, 13. 60) et δικασ|τηρίου (A II, 49). Inde a B II, 31 lex neglegitur. (εἰσαχ|θείς A I, 68. II, 28; praeterea neque σ neque κ χ rell. ab insequente consona divelluntur.)

eos, qui propter istas scripturas Gallicum sonum litterae υ linguae Graecae affingunt: qui omnino non audiendi sunt, nisi aliquanto fortiora argumenta attulerint.

§ 4 Redeo ad titulum Pharsalium nominaque virorum in eo perscripta, e quibus unus appellatur Γενναῖος Θεορδότειος. Θεόρδοτος esse pro Θεόσδοτος, rhotacismo in hac quidem dialecto prorsus singulari, dudum perspectum est; itaque hoc addo, idem nomen latere in titulo Leakiano nr. 219 v. 9: ΟΡΟΡΔΟΤΤΟ, quod ΘΕΟΣΔΟΤΕΙΟ[Σ] esse iam H. L. Ahrens (D. D. 531) dixit, rectissime nisi quod alterum Ρ mutare non debebat. Is titulus Metropolitanus est. Apud Boeotos scribitur Θιοζότα, Θέζοτος, Θεοζότιος, Θεόσζοτος (Tanagr. Ἀθήν. III, 171. IV, 213. 298; Theb. C. I. 1578 rell.); similiter etiam Διόζοτος (Cop. Ἀθήν. I, 501; Theb. *Bullet. de corresp. hell.* III, 140). Atticum quoque est Θεοζοτίδης, quod ex optimis libris a Tε restitutum est apud Demosth. 21, 59; Plat. Apol. 33E (illo loco Σ pr. m. Θεοσζοτίδης, sed eadem corr.; vulg. Θεοσδοτίδης); exstare docuisti etiam in inscriptione Attica C. I. Gr. I p. 307. Originem istius ζ iam Antonius Führer (de dial. Boeot. p. 15 sq.) recte explicavit: nempe Θεόσδοτος fuerat et Διόσδοτος; elementa σδ conflata sunt in ζ. Interdum autem Boeoti hoc σ ante δ in vocalem mutare maluerunt: ita Διοίδοτός vel mutatione Boeotica Διύδοτος legitur in titulis Hyettiis (*Bull. de corresp. hell.* II, 500. 498). Praeterea nullum est apud eos ζ (nam Ζώπυρος et Ζωσίμα in titulis Tanagraeis recentiora sunt, Βυζάντιοι Ἀλυζαῖοι peregrina); scribunt Δεύς ψαφίδδω. Ea antiquitus fuisse Δjεύς, ψαφίδjω cum aliis G. Curtius docet; δj transisse in *ds*, inde ζ fluxisse; sed utrum id eum ipsum sonum *ds* significet, sicut ille dicit, an *sd* potius, id vero magnopere ambigi potest[1]. Atque equidem haud scio, an parum recte gram-

[1]) Doctissimus vir Italus G. I. Ascoli neutrum sonum verum putat, simpliciori cuidam *ź* patrocinatur. Nollem eum Dionysii Halicarnassensis locum (p. 82) male interpretando detorsisse. Disertis verbis Dionysius ζ ex σ et δ compositum esse dixerat (p. 78); quae autem deinde dicit p. 82: τοῦτο δὲ (τὸ ζ) ἡσυχῇ τῷ πνεύματι δασύνεται καὶ ἔστι τῶν ὁμογενῶν γενναιότατον, nihil habent quod cum prioribus pugnet. Aliquid aspirationis inesse affirmat: nempe δ littera est media, non ψιλή; itaque ζ iucundius esse quam ξ et ψ, quae aspiratione prorsus carent; omnino enim Dionysio aspiratae iucundissimae sunt, minime iucundae tenues (p. 85). Γενναῖος idem est quod εὐγενής; ita de choreo dicit Dion. p. 107: ταπεινός τε καὶ ἄσεμνός ἐστι καὶ ἀγενής, καὶ οὐδὲν ἂν ἐξ αὐτοῦ γένοιτο γενναῖον. (V. Ascoli p. 365 sq. interpretat. german.).

maticis antiquis fidem derogemus, qui uno ore ζ ex σδ compositum esse clamant; etenim illi in tali re errare nullo modo poterant. Id autem testimonium non modo ad communem linguam valet quae ea aetate fuit, sed etiam ad Atticam, unde illa maximam partem originem cepit; itaque in Attico Θεοζοτίδης nulla est elementorum transpositio, est in Ζεύς ψηφίζω. Boeoti autem nusquam elementa transposuerunt: forte coniunctum in compositione ζ(σδ) modo amplexi modo aspernati sunt; aspernati esse etiam Thessali videntur, apud quos nullum adhuc ζ litterae exemplum inventum est. Sed video me ingressum in locum impeditissimum atque obscurissimum; itaque cautius et magis circumspecte progrediendum. Erat igitur in Tanagraeis etiam Θεόσζοτος, quocum conferendum Βυσζάντιοι in Thebano (Ἀθήν. III, 479), ἐπεψήφισζεν συναγωνισζόμενοι in Atticis (C. I. A. II, 315. 352), καταδουλίσζοιτο in Delphico (Wescher et Foucart 218, 11), denique ἐνορκίσζομαι in recentissimo Cephalleniensi (C. I. Gr. 1933). Iam si ζ erat *ds*, unde tandem hoc σζ i. e. *sds*? At si sonus erat *sd*, σζ est σσδ, eademque ratio in Βυσζάντιοι quam in Κολύσσται esse cognovimus. Conferre possim etiam ἕξς quod est in antiquo Chio (*Bull. de corr. hell.* III, 231); ut enim minime mirum σ eo loco praeter necessitatem addi (quod sescenties factum in Latinis titulis), ita maximopere mirandum foret, sicubi ἕσξ scriptum inveniretur. Sed neque id usquam inventum est neque ζσ; itaque satis perspicuum in ξ ψ *s* elementum posteriorem locum obtinuisse, in ζ priorem. Num adhuc Tibi non prorsus persuadeo? at Delphicae quidem pronuntiationis aliud quoque indicium habemus. Nam in titulo W. F. 189, 13 ΕΙΩΝ est pro ἔστων; quae scribendi ratio pravissima tamen explicationem habet, si ἔζων erat *esdon*; contra si *edson*, ne poterat quidem quisquam in eam scripturam incidere. Etiam 253, 11 non puto ΕΤΩ pro ἔστω in lapide esse, quod tradunt editores, sed ΕΙΩ. Alia testimonia ipsa Attica suppeditabit. Ἐξ ante Ζέας, si id fuit *Dseas*, *s* abicere consentaneum erat; contra si *Sdeas*, nihil intererat, utrum ἐξ an ἐκ scriberetur. Scribitur autem in inscriptionibus navalibus Boeckhii (IV, f, 64) ἐξ Ζέας; itaque id *Sdeas* pronuntiabatur. Quid quod nunc quoque συζεύγνυμι scribimus et συζῆν? Eiciendae nasalis nulla causa erat, si pronuntiatio erat *dsēn*; quidni enim *syndsēn* sicut συγξαίνω, σύμψηφος? Itaque iam Buttmannus ibi pronuntiationem *sd* recte agnovit; nam συ(ν)σδῆν est sicut συ(ν)σκευάζεσθαι. —

Non vereor ne quis mihi opponat Delphicum καταδουλιζμῶι (W. F. 433, 13) et notissima illa Ζμύρνα ζβεννύναι, in quibus neque plane *sd* fuisse potest neque *ds*, sed extrito *d* elemento lenior ille sonus alterius, quem ex more Gallorum Britannorumque *z* littera scribere homines docti consuerunt. Cuius soni cum proprium signum non haberent Graeci, ambigebant utrum verius Σμύρνα *Smyrna* an Ζμύρνα *Z(d)myrna* scriberetur, quod pronuntiaretur *Zmyrna*; nam sicut ante β μ, ita etiam ante δ i. e. in ζ sonum *z* fuisse consentaneum est. — Cur autem, dicent, Aeolum ἡ τοῦ ζ εἰς τὸ σ καὶ δ τροπή propria fuisse traditur, si omnino ζ erat σδ? At id ad orthographiam solam pertinuisse potest; nam etiam κσένος et ἱέρακς et Πέλοπς, si grammaticis credimus, in Aeolicis antiquis libris titulisve fuerunt. Non exstant talia in nostris titulis, qui omnes recentiores sunt, sed eidem praeter unum Cumaeum, in quo est προσονυμάσδεσθαι, semper Ζ praebent, numquam ΣΔ. Non possum hoc loco omnia penitus exhaurire; sed ea quae exposui argumentisque corroboravi ne tum quidem collabefient, si quis aeque validis argumentis usus demonstraverit, ζ in lingua Graeca aliquando et apud aliquas gentes sonum *ds* habuisse.

§ 5 In Boeoticis titulis paullisper subsistamus. Thebanum satis antiquum ante hos paucos menses P. Foucart edidit (*Bull. de corr. hell.* III, 140), ubi exstat Διοζότιος quod modo attuli. Nominum indicem continet casu recto positorum; in duobus autem nominibus Σ quod eius casus proprium est omittitur: ΜΕΝΝΕΙΡΙΟΙΟΤΙ[ΟΣ], ΠΤΟΙLLΕΕΠΙΣΤ[ΡΟ-ΤΙΟΣ]. Editor doctissimus negat eam omissionem casu factam esse; nam in Tanagraeis quoque titulis (Ἀθήν. IV p. 213. 295) esse Ἀκύλλε et Ξέννει, aliaque complura eiusdem proprietatis exempla Orchomenium quendam ineditum, qui IV. saeculo scriptus sit, praebere. Dolendum quod ea exempla tacere maluit; interim nonnulla aliunde ipse addere possum: C. I. Gr. 1643 ΚVΔΙLLΕ (Orchomen.), 1639 ΦΡΑΣΣΕ (Thesp.). Porro in Tanagraeis, quos attulit Foucart, tertium quoque exemplum est ....ει (puto [Μένν]ει vel [Ξένν]ει) Νικίηος (p. 295), et nescio an in titulo dedicatorio ibidem invento (p. 294): Ἀθανίκκεια Ἵμνω Ἀρτάμιδι Εἰλειθυίῃ, verius sit Ἀθανίκκει Ἀϊμνὼ Ἀ. Ε. Nam Ἀϊμνώ erit pro Ἀϊμνάστα (cf. Ἀϊκλίδας Theb. ap. Keilium *Nachtr.* 37a 14), Ἵμνω quid nominis esse possit parum perspicitur, et pro Ἀθανίκκεια exspectandum erat Ἀθανίκκια. Vides sex septemve haec nomina: Μέννει,

Ξέννει, (Ἀθανίκκει), Ἀκύλλει, Κυδίλλει, Πτωΐλλει, Φράσσει (Ε enim antiquorum titulorum est ει) omnia hypocoristici generis esse: non enim integra compositio est e duabus stirpibus, sed aut ea formatio qua Tu ipse docuisti e Ζεύξιππος fieri ὑποκοριστικόν Ζεῦξις, aut consimilis illa quae est in Ἀρίστυλλος, Αἴσχύλος, aut denique ea qua ex Κλεομένης Κλέομμις prodiit. Integra autem sunt e. gr. Μενέδημος, Ξενοκλῆς, Ἀκάδημος, Κυδίμαχος, Πτωϊόδωρος, Φρασικλῆς; Ἀθανίκκει videlicet Ἀθανικέτας est. Extrema consonans ante -ει in omnibus duplicatur, id quod in hypocoristicis saepe fieri constat. Πτωΐλλει nominis genetivus est in eadem inscriptione Πτωΐλλιος (malo enim genetivum dicere quam πατρωνυμικόν, quod Πτωΐλλειος esse debebat sicut Θιογένειος); accusativus Δαΐμμειν esse videtur Tanagr. Ἀθήν. IV, 293. Declinatio certe eadem erat atque integrorum quale est Θιογένεις, nisi quod in his σ nominativo semper redditur. Thessali autem etiam in nominativo Μέννεις (Pharsal. H. 200 b 45). Sed non erant hae verae stirpes in -ες; immo Μέννει-(ς) ad Μενέ-α-ς eandem rationem habet atque Λῦσι-ς ad Λυσί-α-ς. Cur autem non addebatur in nominativo σ littera? Id vero me compertum habere nequaquam praedico. Mira res est; sed nonne idem accidit in ἱππότα Θυέστα τελέστα? idem in Λητώι Λητώ innumerisque ceteris nominibus quae in -ώ (οϝι, ώι) desinunt? Rationes alii fortasse aperient.

§ 6 E Boeotia velim Te mecum transferas in Chium insulam, in qua genuinae dialecti ionicae specimina quaedam pretiosissima his annis inventa sunt. Ex eis titulis unum, qui amplissimus est, iam Cauerus in Delectu inscr. Gr. (nr. 183) exhibet, sed ex transcriptione minusculis litteris facta, quae prima prodierat; fideliorem imaginem praestitit B. Haussoullier (*Bull. de corr. hell.* III, 230 sqq.). Inscriptus est titulus in quattuor lateribus lapidis, cuius pars superior periit; ea pars maior fuisse videtur. In latere A termini enumerati erant LXXV, quibus ager quidam publicus circumscriptus erat; eorum terminorum in ea parte quae nunc exstat non plus XII indicantur. Prima verba sunt apud Cauerum ita scripta: ..ος· ἀπὸ [τούτ]ο μέχρι [τῆς] τριόδο, ἧς Ἑρμώνοσσα [ἐκφ]έρει τρὲς· ἀπὸ τῆς τριόδου ἄ[χ]ρι Ἑρμωνόσσης ἐς τὴν τρίοδ[ον] ἕξ· ἀπὸ τούτο κτέ. Sed quid id est: ἧς Ἑρμώνοσσα ἐκφέρει? Cautius Haussoullier: ἧς Ἑρμώνοσσα ...[ερει. Tu mecum repone: ᾗ 'ς Ἑρμώνοσσα[ν φ]έρει; neque enim plus duabus litteris deesse videntur, et Ν litterae primus ductus servatus est. Cf. B 23 μὴ 'λάσσονες. In proximo

versu X vocabuli ἄχρι extra spatium additur; addendum esse non nego. Non recte Cauerum in eis quae sequuntur ποιήσηι scripsisse pro ποιήσει et bis πρήξωισιν pro πρήξοισιν libenter Gallo editori concedemus; persaepe enim et apud Atticos et apud ceteros est ΕΙ pro ΗΙ, neque ΟΙ pro ΩΙ, quamvis rarius sit, quicquam offensionis habet. In B est λάβωισιν, sed in C τοἰκόπεδον, κΟἰνοπίδης. Recte id quoque Haussoullier, quod in extremis eius lateris versibus ἐν ἐ(π)|αρῆι reposuit: legitur ΕΝΕΙ|ΛΡΗΙ; ἐν (τ)ῆι ἀρῆ scripserat Cauer. — Reliqua tria latera στοιχηδόν insculpta verba habent; manus quoque alia est atque in latere A, in quo N litterae primus ductus obliquus est. Nihilominus et Cauer et Haussoullier omnia eodem tempore scripta putant, referuntque ad terminationem venditionemque bonorum quorundam publicatorum, de quibus in lateribus CD mentio fit. Sed in latere A neque de venditione agitur neque privati cuiusquam nomen occurrit, sed regionis tantum quae Δοφῖτις vocatur. Ergo sicut manus diversa est, argumentum quoque aliud neque eadem aetas huic parti tituli tribuenda videtur. Cetera argumento coniungi non est quod negemus. — C, 2 ..ιομενος in lapide esse testatur Haussoullier; concidere igitur quod Cauer scripsit τὸς δ' ἐσα]γομένος ἡ πόλις δεξαμένη δικαζέσθω. Ego haec fere restituerim: [ἢν δέ τις τὸς πριαμένος ἀποκλη|ίηι] ἢ (hanc litteram fuisse, non γ, testatur Haussoullier) δικά[ζηται, τὸς ἀπο|κλη]ιομένος ἡ πόλις δεξαμένη δικαζέσθω. — Ibidem v. 8 iam ex lapide prodit βασιλεός pro βασιλεύς; porro νο[μα]ίας ἐπαράς, quod scripsit Cauer, satis confirmatur, cum Μ quoque litterae vestigia certissima exstent. — Inde a versu 10 emptores bonorum quae divendita erant recensentur. V. 10—19: τὰς γέας καὶ τὰς οἰκιέας (ita lapis, non οἰκέας; at τὴν οἰκίην D 5) ἐπρίαντο τῶν Ἀννικῶ παίδων Ἱκέσιος Ἡγεπόλιος πεντακισχειλίων τριηκοσίων τεσσ[ερα]κόντων (vulgarem formam τεσσαρακόντων introduxerunt editores)· Ἀθηναγόρ[η]ς (Ἀθηναγόρ[α]ς Cauer, quod pueri est corrigere) Ἡ[ροδό]το χειλίων ἑκτακοσίων .ΑΙΓΕΛΕΟ. Τιμοκλῆς (Φιλοκλῆς Cauer) Ζηνοδότο τὰν [Ε]ὐάδηισιν δισχειλίων ἑπτακοσίων. — Ἀννικῶ genetivi similes sunt Πυθῶ D 4, Λυσῶ D 17. Πυθέω esse debebat pro Πυθέεω; sed puto in nominativo non Πυθέης fuisse sed Πυθῆς, et contractionem eius casus reliquorumque etiam genetivum esse secutum. Contra D 6 Ἄνδρεος et in alia inscriptione Chia eiusdem fere aetatis Πύθεος genetivus est (*Bull. de corr. hell.* III, 319, nr. 6); adde Φίλεος nr. 14, Μνήσεος 15 (p. 325), quibuscum conferenda Boeotica illa Φίλλιος

(Keil Syll. p. 7) et in nominativo Μέννει Θάλλεις aliaque de quibus supra dixi. At nominativus est Πύθεος in Erythraeo *Bull. de corr. hell.* III, 388; itaque Ποσιδεο in alio antiquo Chio (ibid. p. 318 nr. 5) Ποσιδέου esse potest a Ποσίδεος: nisi vero Ποσίδεο[ς] est legendum; nam certe Λεωσεβεο quod in eadem inscriptione traditur integrum esse nequit. Sed redeo unde digressus sum. Quid faciendum litteris illis .ΑΙΓΕ-ΛΕΟ.? Equidem τ]Αἰγελεο[ῖ i. e. τὰ Αἰγελεοῖ fuisse puto, sicut infra est τὰν Εὐάδηισιν, τὰγ Καμινῆηι; Αἰγέλεος sive Αἰγέλεον loci nomen comparatur cum Αἰγάλεως Attico, Messeniaco Αἰγαλέον. Cauerus Θαργήλεος scripsit, sed id si cum proximo nomine Τιμοκλῆς coniungendum est, aegre desideratur καί. Itaque Anniceae bonorum eam partem quae prope urbem puto erat Hicesius emit; reliqua ab aliis empta locorum nominibus additis designantur. — Sequuntur haec (v. 19 sqq.): Θεόπροπος κΟἰ[νοπίδης τὰγ Καμινῆῃ χε[ιλίων καὶ ὀκτακοσίων ..|ΤΑΚΗΦΙΟΣ τὰ ἐμ Μελαίνηι| Ἀκτῆι τρισχελίων ἑπτακ|οσίων ἐνενηκόντων ΒΙΑ.|ΑΣΙΩ; excipit deinde vacuum spatium. Intellegit uterque editor Κήφιος esse nominativum, et in fine ponit alterum nominativum Βία Πασίω. Uter igitur ea bona emit? Adde quod feminam emisse eiusque nomen in acta publica relatum esse vel maxime mirum est; et si fuit femina, cur non Βίη ionice sed Attice Βία? Haec igitur non recte lecta esse facile concedes. Ego sic sentio. Post ὀκτακοσίων nihil umquam in lapide fuisse puto (scribunt nunc [ΕΠ]|ΤΑ); enumeratis emptoribus eorum bonorum, quae liberorum Anniceae fuerant, spatium vacuum relictum est. Κήφιος est genetivus; eius bona (τὰ Κήφιος) emerat non Βία femina sed vir Βία[ς, cuius pater Ἀσίης vocabatur non Π]ασίης. Dixit de eo nomine cognatisque multis Fickius in libro quem nosti p. 16; apud Thessalos Ἄσσας forma erat (Pharsal. Heuzey nr. 200 a 39; cf. ibidem Νικασιαίου v. 5, Νικάσσας d 8). — Pergitur in latere D post complura quae interciderunt ..ΙΟΝ.....|χ]ειλίων ἐνα[κοσίων· Λεύκ[ιππος Πυθῶ τ|ὴν οἰκίην τ[ὴ]ν Ἄνδρεος π[ε|ντακοσίων π|εντηκόντων|δυῶν· Ἄσμιος | Θεόπομπος Ἀ|γυαίο τὰν Οἴ|ωι χειλίων τ[ριηκοσίων δ[έκων δυῶν· Ἱ|κεσίο τὸ Φιλ|ωνος Στράτ[ι|ο]ς (vel Στράτ-[τ|ι]ς) Λυσῶ τοῖκ|ό]πεδον διηκ[οσίων ἑνός. — In his Ἄσμιος nominativum editores putant, qui genetivus est; Ἄσμις fuerit ὑποκοριστικόν talis nominis quale est Ἀσμενόφαντος. Deinde quod Cauerus dedit κ' Ἱκεσίο nova editione refellitur: non Κ est post δυῶν sed interpunctio ⁝. — Apparet non recte editores ad bona filiorum Anniceae totum titulum referre: alio-

rum itidem bona venierunt, e quibus novimus Cephin, Andren, Asmin, Hicesium.

§ 7 In doricis quibusdam titulis finem disserendi faciam. Probe nosti Laconicos illos ad Taenarum inventos, quibus dedicationes vel manumissiones servorum continentur. Eorum duo editi sunt post Graecum Eustratiadem a Kirchhoffio Herm. III, 449 (*Griech. Alphab.*[3] p. 145) (*a*, *b*); tertium male mutilatum (*c*) ediderunt C. Bursian (Dissert. Acad. Monac. VII, 779) et Le Bas 255[e]; quartum elegantissime scriptum optimeque conservatum (*d*) nuper P. Foucart (*Bull. de corr. hell.* III, 96) publici iuris fecit. Is his verbis conceptus est: Ἀνέθεκε | τοῖ Ποοίδᾶνι | Νίκον | Νικαφορίδα | καὶ Λύϊππον | καὶ Νικαρχίδαν | καὶ ταὐτᾶς πάντα. | Ἔφορος | Εὐδαμίδας. | Ἐπάκοε | Μενεχαρίδας Ἀνδρομέδης. Litteratura ionica est, nisi quod Ω nondum recipitur, H autem ancipitem usum habet (ΠΟΗΟΙΔΑΝΙ, ΛΥΗΙΠΠΟΝ, ΑΝΔΡΟΜΕΔΒΣ), et ἀνέθεκε antiquam scribendi rationem refert. Num fortuito factum sit, ut H litterae aperta forma spiritum designet, clausa B vocalem, parum mihi constat. Itaque titulus aetate medius inter *a* et *b* esse videri potest; nam in *a* η vocalis semper per E scribitur, in *b* numquam, et antiquior illa forma B exstat in *d*, non est in *b*. Iam cum ephorus in *b* adscriptus sit Hagchistratus, eum titulum H. Röhl (Annal. Fleckeis. CIX, 156) anno 427/6 exaratum esse putavit, quo Hagesistratum ephorum fuisse ex ephororum indice Xenophontis Hellenicis inserto constat (Hell. II, 3, 10). Eudamidas autem ephorus et Aristeus (*a*) in illo indice, qui annos 432—404 complectitur, nulli sunt: vides igitur titulos *a* et *d* anno 432 antiquiores putandos esse, si quidem idem Hagesistratus utrobique intellegitur. Aliquanto recentior esse videtur *c*, in quo Ἀριστίδα[ς] pro Ἀριστείδας scriptum et B littera in nomine Βοινέ[ας] loco digammi usurpata est. Sed redeo ad *d* titulum, in quo interpretando editor statuisse mihi videtur quod non ferendum sit. Nam ταὐτᾶς ad Νικαρχίδαν refert, eumque accusativum putat nominis Νικαρχίς. Verum ea puto res est: dedicatur serva Nicaphoris una cum filiis Lyhippo et Nicarchida rebusque suis omnibus. Ni ita foret, ταὐτῶν scribi debebat; consentaneum enim est omnium qui dedicantur res una cum ipsis dominum mutare. Vides autem Niconis illius qui dedicavit gentem cum multis Spartanis studio equestri deditam fuisse; omnia enim etiam familiae nomina inde desumpta sunt. — Quid autem est illud ἐπάκοε? Dualem numerum substantivi putat Foucart; ego verbum ἐπήκους i. e. ἐμαρτύρει.

In reliquis est ETAK *c* (pro T reponendum Γ), EΓAKO *b*, EΓAKOΩ *a* teste Kirchhoffio, quod eum ἐπακόω esse videretur, inde Foucartus dualem arripuit. Ego non credo litteram Ω recte legi; si O fuit, intellegendum videtur ἐπακόο(ν), pariterque in *b*, in quo nullum est spatium vacuum inter ἐπακο et Πρυαῖος nomen quod sequitur. Sed si quis aliter sentit, non repugno. Dualis certe numeri certiora exempla Laconica expectanda erunt; nam quod dicebant ναὶ τὼ σιώ, non probat quinto quartoque saeculo in ceteris quoque vocabulis eas formas viguisse. In titulo Delio nuper invento (*Bull. de corr. hell.* III, 12) est ἐβασίλευον et deinde ἔφοροι ἦσαν: illius simile est ἐπάκοε; ad huius normam dicendum erat ἐπακόοι sive ἐπάκοος, scil. ἦσαν vel ἦν, sicut vulgo in talibus titulis exstat μάρτυρες vel μαρτύροι.

Agmen claudat Corcyraeus titulus Menecratis formaque genetivi ibi scripta Τλασίαϝο, quam scis quantas turbas dederit. Ego faciam quod possum, ne quis ea in posterum vel utatur vel abutatur. Quis est poëta qui id elogium composuit? Nempe Corcyraeus homo Doricus, qui in consuetudine semper Τλασία et dixerat et audiverat. Unde ergo Τλασίαϝο istud assumpsit? Videlicet ab Homero mutuatus est. In eius autem libris illa aetate Ἀτρεΐδαϝο scriptum fuisse nemo opinabitur; Ἀτρεΐδαο poëta noster invenit, digamma de suo addidit. Id autem ideo fecit, ut formam ionicam dialecto doricae accommodaret. Discimus igitur ex hoc titulo quod aliunde scimus, vocales AO in dialecto dorica coniunctas numquam fere fuisse, sed aut digamma intercessisse aut eas vocales contractas esse. Digammatis exempla haec sunto: ναϝὸν tit. Lacon. *Bull. de corr. hell.* III, 12; Λαϝοκόϝον Byzant. ap. Priscian. I, 22. § 8

Sed haec hactenus. Superest ut conspectum earum rerum proponam, de quibus in hac commentatiuncula egi.

§ 1. Apud Thessalos pro ΦΘ, ΠΤ interdum fuisse ΤΘ, ΤΤ, praepositionemque ἐπί sequente articulo et apocopen passam esse et assimulationem quam dixi Π litterae.

§ 2. Apud eosdem genetivum primae declinationis vel in A vel in ΑΟΣ terminatum fuisse; in secundae genetivo ΟΥ non ita antiquum esse, cum adhuc inveniatur Ω.

§ 3. Consuetudinem duplicandi Σ litteram ante consonantem minime alium eius litterae sonum indicare.

§ 4. Grammaticorum testimonium de Z littera, quod eam ex Σ

et Δ compositam esse dicant, conspirare cum eis quae de vi eius litterae tituli doceant.

§ 5. Boeotos in virorum nominibus hypocoristicis, quae ceteroqui ad normam nominum in -εις, -ιος (Attice -ης, -ους) flectantur, Σ nominativo detrahere solitos esse.

§ 6. Titulus Chius, quem apud nos primus P. Cauer in Delectu inscriptionum Graecarum edidit, emendatur et explicatur.

§ 7. Agitur de Laconicis titulis ad Taenarum inventis.

§ 8. Τλασίαϝο genetivum in Corcyraeo titulo Menecratis nihil esse nisi formam poëticam ab ipso auctore eius poëmatii confictam.

Addenda.

Ad § 1. 2. 4. De dialecto Thessalica nuper scripsit Hermannus v. d. Pfordten (Monachii 1879). In ea commentatione quaedam ex eis quae ipse proposui iam dicta sunt. De ἑττᾶ Keilius (Inscr. Thess. tres p. 11): 'ego ἑττᾶ, id ut esset ἐπὶ τᾷ, non sum ausus relinquere'.

Ad § 5 p. 126. Orchomenium titulum, qui circiter a. 330 exaratus est, nuper edidit Foucart *Bull. de corr. hell.* III, 7 p. 452. Exstat ibi v. 4 . . . . ΙΠΠΕΙ-ΘΙΟΓΙΤΟΝΙΟΣ; ita iam novum exemplum accessit, quod prioribus prorsus consimile est. Quod in transcriptione minusculis litteris facta . . . ιππει(ς) editur, errore factum esse videtur. Numerus litterarum quae interciderunt definiri nequit.

Ad § 5 p. 127 v. 8. Memorabile exemplum duplicatae consonae est in Μέκγας nomine, quod patrio casu (Μέκγαο) bis positum est in alio titulo Orchomenio ibidem ab eodem edito (p. 460, v. 9 sq.). Formatum est ex integro tali quale est Μεγακλῆς. Cur non potuerit scribi Μέγγας, statim perspicitur.

DE PANDORA HESIODI MELETEMATA CRITICA

SCRIPSIT

FRIDERICUS SCHOELL

Quos nuper non sine magno dolore litterarum studiis eripi vidimus philologos primarios Carolus Lehrsius et Georgius Fridericus Schoemannus cum ingenii indole animi habitu disciplinae ratione satis inter se diversi essent et in diversis saepe philologiae partibus operam suam collocarent, haud raro tamen concinebant et in rebus quas tractandas sibi sumpsere et in ipsis quas de eis conceperunt sententiis. Itaque in veterum grammaticorum cognitionem simili et consilio et eventu incubuerunt — quamquam praecellente in hac parte Lehrsio —, saepissime vero inter eos convenit in eis quae de Hesiodi carminibus iudicarunt. Atque haec maxime de Ascraeo vate iudicia me moverunt, ut virorum eximiorum laetam simul lugubremque memoriam modo recolerem, etiamsi nescio an aliena esse videatur a festo festivoque quem celebramus die. Namque in recensendo Hesiodo cum facere nequeam quin longe discedam ab illorum rationibus, haud abs re visum est ex hac studiorum meorum parte disputandi materiam depromere Tuoque, Sauppi, iudicio meam subicere sententiam: quam nisi Tibi probavero, me errare eo libentius crediderim quo magis mihi ipse diffido ubi ab auctoritate talium virorum mea laude superiorum deficiam. Iam cum circumspicerem quodnam potissimum tractationis meae specimen Tibi proponerem, ea elegi carmina quibus de Pandora agit poeta. Quamquam — ut hoc statim praecipiam — cum vel in proverbium abierit 'Pandora Hesiodi', ipsum nomen Pandorae Hesiodum aut non novisse aut non indicasse arbitror. Quod in Theogonia non extare notum est:

in altero carmine non exhibetur nisi loco valde impedito suspectoque, de quo paulo altius disputationem repetendam esse video, praesertim cum de hoc imprimis carmine disserere velim Theogoniam in transcursu potius respiciens.

Intellecta Promethei fraude ubi malum hominibus parare Iuppiter instituit, sic pergitur versibus qui traditi sunt 59—82:

Ὣς ἔφατ'· ἐκ δ' ἐγέλασσε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε·
Ἥφαιστον δ' ἐκέλευσε περικλυτὸν ὅττι τάχιστα 60
γαῖαν ὕδει φύρειν, ἐν δ' ἀνθρώπου θέμεν αὐδὴν
καὶ σθένος, ἀθανάτοις δὲ θεοῖς εἰς ὦπα ἐίσκειν
παρθενικῆς καλὸν εἶδος ἐπήρατον· αὐτὰρ Ἀθήνην
ἔργα διδασκῆσαι, πολυδαίδαλον ἱστὸν ὑφαίνειν·
καὶ χάριν ἀμφιχέαι κεφαλῇ χρυσέην Ἀφροδίτην, 65
καὶ πόθον ἀργαλέον καὶ γυιοκόρους μελεδῶνας·
ἐν δὲ θέμεν κύνεόν τε νόον καὶ ἐπίκλοπον ἦθος
Ἑρμείαν ἤνωγε διάκτορον Ἀργειφόντην.
Ὣς ἔφαθ'· οἱ δ' ἐπίθοντο Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι·
αὐτίκα δ' ἐκ γαίης πλάσσε κλυτὸς Ἀμφιγυήεις 70
παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον Κρονίδεω διὰ βουλάς·
ζῶσε δὲ καὶ κόσμησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη·
ἀμφὶ δέ οἱ Χάριτές τε θεαὶ καὶ πότνια Πειθὼ
ὅρμους χρυσείους ἔθεσαν χροΐ· ἀμφὶ δὲ τήν γε
Ὧραι καλλίκομοι στέφον ἄνθεσιν εἰαρινοῖσι· 75
πάντα δέ οἱ χροῒ κόσμον ἐφήρμοσε Παλλὰς Ἀθήνη·
ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος Ἀργειφόντης
ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος
τεῦξε Διὸς βουλῇσι βαρυκτύπου· ἐν δ' ἄρα φωνὴν
θῆκε θεῶν κῆρυξ· ὀνόμηνε δὲ τήνδε γυναῖκα 80
Πανδώρην, ὅτι πάντες Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
δῶρον ἐδώρησαν, πῆμ' ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν.

De nominata igitur Pandora quod dubitationem movi, nequaquam cum Lehrsio facio [1]), qui quaestionem instituat: num forte verba ὀνόμηνε δὲ τήνδε γυναῖκα ab initio significaverint 'nominavit autem hanc — Feminam', ut iam pro insiticiis habendi essent qui insecuntur versus

[1]) Quaest. ep. (ed. Regim. Pr. 1837) p. 228 adn.

81. 82. Sic enim ut intellegamus [1]) versusque divellamus, nulla nec cogit nec suadet ratio, cum iam quae praemittuntur verba παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον (v. 71, cf. v. 63) genus muliebre indicent. Sed ut in his ipsis versibus non est quod offendamus, ita totus locus quantis laboret difficultatibus neminem latuit latetque: neque tamen variis criticorum curis satis videtur expeditus esse. Maxime omnium offendit quod v. 61 Volcanus mulieri ἀνθρώπου αὐδήν tribuere iubetur, v. 79 contra Mercurius φωνήν ei indidit. Quam discrepantiam qui interpretando tollere studuerunt Goettlingius Lennepius alii linguae usui vim intulerunt, qui delendo versu 79 post Proculum Heynius Vollbehrius Paleyus Steitzius Koechlyus Flachius explicare interpolationis originem non potuerunt ac ne conati quidem sunt — qui mos est fere criticorum Hesiodeorum: quasi per se aut explicare aliquid aut difficultatem quandam tollere posset, si interpolatione nescio qua locum affectum esse sumeremus. Quod vero cum alii tum Steitzius [2]) contendit φωνήν v. 79 commemorari recte post αἱμυλίους λόγους nequire, mire neglexerunt λόγους non orationes significare, sed rationes: illa enim significatio ne admitti quidem potest neque hoc loco (ubi coniuncta exstant ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος Ἀργειφόντης ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος τεῦξε) neque in Theogonia v. 889 sq., ubi habemus δόλῳ φρένας ἐξαπατήσας αἱμυλίοισι λόγοισι. Quare per se hic locus non habet cur reiciatur — nam leviores adeo sunt quas addiderunt offensiones —: neque tamen cum prioribus conciliari potest. Id vero vix minus in reliquos versus cadit. Nam v. 72 — ad quem v. 76 pro loco parallelo adscriptum esse iam inter omnes constat — Minerva exsequitur quae

[1]) Schoemannus quoque, qui aliam ob causam coniectura haec verba temptavit, similiter statuit dicens (comment. crit. edit. a. 1869 p. 21): 'ὀνόμηνε δὲ τήνδε γυναῖκα quum legimus, non possumus quin hoc ipsum γυναῖκα nomen esse suspicemur a Mercurio impositum'. Sed modo recte sensuique convenienter recitantes vocem post γυναῖκα suspendamus, hanc et possumus et debemus removere suspitionem.

[2]) '*Die Werke und Tage des Hesiodos*' ed. Lips. 1869 p. 46 sq. Praeterea Steitzius Mercurium nolens nomen mulieri tribuere, sed Iovem pro θῆκε θεῶν κῆρυξ· ὀνόμηνε δὲ τήνδε γυναῖκα insanam invenustamque coniecturam proposuit θῆκεν· ἀτὰρ Κρονίδης ὀνόμηνεν (!) τήνδε γυναῖκα: quam etsi iam Hillerus in Fleckeis. annal. vol. CI a. 1870 p. 313 apte exposuit a iusta offensione profectam non esse, Flachius in editione sua recepit, in Goettlingiana quam contaminavit laudibus extulit. Sed non modo ob rem ab Hillero expositam Steitzii coniectura reiectanea est, verum etiam per se vituperanda: nam soloece ἀτάρ intulit ubi vera non adest oppositio.

neque iussit Iuppiter v. 63 sq. nec satis huic maxime deae conveniunt[1]; Venus autem v. 65 commemorata deinde omnino neglegitur, quaeque substituuntur Gratiae Suada Horae corpus mulieris exornant, cum illi praeceptum fuerit animo eius omnem vindicare venustatem. Tot tantaque menda Schoemannus Hillerusque toleranda fortasse existumarunt esse in mediocri immo misero compositore vel epitomatore, qualem in tota de Pandora narratione agnoscunt; in qua num iure multa vituperentur a criticis, postea videbimus: quae hoc loco unumquemque offendere debent discrepantiae num vel ab oscitante ac dormitante versificatore committi possint dubito. Nam illi quoque prodidisse hanc sententiam satis habuerunt, simile aliquod exemplum neque ex graecis neque ex aliis litteris protulerunt. Quapropter quod in uno alterius partis versu 76 accidisse manifestum est locum parallelum irrepsisse, idem ad universam complexionem trahendum erit. Neque tamen rei veritatem Steitzius Flachiusque perspexerunt versus 60—69 secludentes, cum potius versui 68 statim adplicandus versus 83 sit deletis qui interponuntur: id quod primus Lehrsius vidit[2]. Ac principio quidem simplicius est, si utramque partem comprehendimus ab ὣς ἔφατ' incipientem. Accedit autem quod alterum ὣς ἔφαθ' praeter consuetudinem adnectitur non antecedente oratione directa: id quod ab uno auctore hymni in Cererem admissum, ab Apollonio Rhodio expressum esse exploratum est. Unde augetur suspitio versus 69—82 in alio olim carmine exstitisse, quo quae di deaeque efficerent per orationem Iovis directam indicata fuissent. Praeterea ex Steitzii Flachiique recensione post convitia quae in Prometheum Iuppiter fundit versumque

ὣς ἔφατ', ἐκ δ' ἐγέλασσε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε

nimis abrupte pergit poeta

αὐτίκα δ' ἐκ γαίης πλάσσε κλυτὸς Ἀμφιγυήεις,

ubi sola verba Κρονίδεω διὰ βουλάς v. 71 parum aptum conexum efficiunt.

---

[1]) Diversa sed pariter perversa Rankii Vollbehriique commenta quibus hunc dissensum solvi opinati sunt, ioci causa affero. Ille enim poetae sollertiam admiratus est, quia non minus decenter Iovem nudam non attingere mulierem fingeret quam Minervam sua sponte huic incommodo succurrere: Vollbehrius autem prius illud ἔργα διδασκῆσαι non aliorsum tendere docuit atque ad vestes conficiendas statimque induendas!

[2]) Neglegentius Flachius scripsit obtinuisse Lehrsium v. 60—68 ex alia esse recensione.

Hoc quale sit luculentissime apparet conlata Theogonia v. 570 sqq., unde desumpti sunt v. 71 et 72: illic enim per narrationis tenorem leniter profluunt quae hoc loco post ipsam Iovis vocem duriuscula essent. Hunc autem cum Theogonia consensum dissentientem quo iure Steitzius affirmet particularum quas tractamus alteri potissimum fidem facere [1], me non intellegere fateor. Etenim talis consensus ut ex repetitione epica explicari potest, siquidem uterque locus ab eiusdem poetae manu vel ex eiusdem disciplinae carmine profectus est, ita non minus bene ad imitationem referri potest, si alter locus suspitione non vacat. Imitationis autem vestigia omnino eis quos damnavimus versibus non desunt, cum versus 73 sqq. in memoriam revocent speciosius illud ex Cypriis fragmentum (p. 22 Kinkel.) εἵματα μὲν χροῒ ἔστο, τά οἱ Χάριτές τε καὶ Ὧραι ποίησαν καὶ ἔβαψαν ἐν ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν: versus autem 77—80 si cum versibus 67 sq. comparamus, qui inferior sit locus neminem effugiet [2]. Iam igitur si recte demonstravimus removendos esse v. 69—82, nomen Pandorae a nostro poeta alienum esse patet. Id ipsum vero tantum abest, ut argumentorum quae perpendimus gravitatem imminuat, ut sententiae nostrae calculum adiciat. Nam — ut mittam sponte sic cum Theogonia in hac re alterum carmen conspirare — primum animadvertendum est v. 94 insequi

ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμ' ἀφελοῦσα,

ubi nomen Pandorae expectares, siquidem antea nominata erat mulier. Tum vero nonne id ipsum quod per versus 69—82 nomen Pandorae proditur quonam consilio hi versus adscripti atque interpolati sint, apertissime indicat? Nimirum cum alii poetae de illa narrarent quae apud Hesiodum mulieri omnino tribuerentur, vatem antiquissimum ad illorum rationem redigere voluit qui hos versus adposuit sive interpretandi sive interpolandi gratia.

---

[1] l. s. s. p. 44 sq. '*Die Verse* 60—69 *sind an sich allerdings gut und würden durch Sprache und Inhalt kein Bedenken erregen, wenn sie nicht mit den unentbehrlichen* (?) *und durch Uebereinstimmung mit der Theogonie beglaubigten folgenden Versen in mehrfachem Widerspruch ständen*'.

[2] Recte haec Lehrsius indicavit l. s. s. p. 228. Flachius autem praeter rationem in eis quibus versus 60—69 suspectos reddere voluit, neglectum digamma enumeravit v. 67 ἐπίκλοπον ἦθος: id quod in eis redit versibus quos ipse sinceros habet v. 77; ubi sane κρυφίους τ' ὀαρισμοὺς 'restituit' criticus.

Hoc emblemate maiore postquam narrationem liberavimus, pauca addenda sunt de singulis quibusdam versibus, de quibus ambigi possit. Itaque non satis mihi constat de versu 52

ἐν κοίλῳ νάρθηκι λαθὼν Δία τερπικέραυνον,

quem adhuc nemo quod sciam attigit criticorum satis ceteroqui suspicacium. Namque cum antecedat versus

ἔκλεψ' ἀνθρώποισι Διὸς πάρα μητιόεντος,

statim autem insequatur

τὸν δὲ χολωσάμενος προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς,

nescio quid molesti habet Iuppiter ter nominatus varieque exornatus per tres versus sese excipientes, ubi praesertim quod altero versu additur λαθὼν Δία superiore versu fere contineatur et misere claudicet. Iam facile explicatu videtur, si quem ex Theogoniae versu 587 ad facinus Promethei accuratius describendum repetiisse statuimus illud ἐν κοίλῳ νάρθηκι ac dein versus explendi causa cetera adsuisse. Quamquam necessariam non esse hanc sententiam probe scio, probabilem esse puto. Contra explorata est et ab omnibus concessa versus 93 interpolatio, quae verbo non indigeat. Restat igitur, ut de versibus 99 et 105 dicamus. Ac priorem versum plerique editores spurium esse censuerunt, quippe quem vel codices nonnulli omittant itemque Plutarchus in consolatione ad Apollonium hoc carmen excitans. At nihil valet haec causa extrinsecus allata. Versum enim cum Plutarchum obelo notasse intellegamus, non aliam ob rem codices quoque illos deteriores delevisse opinabimur, quod haud semel accidisse ostendi potest. Plutarchi vero ἀθετήσεις nullam fere auctoritatem habere vix est quod penes intellegentes arbitros moneam. Unde autem illa maxime sententia

αἰγιόχου βουλῇσι Διὸς νεφεληγερέταο

interpolata sit quidve interpolator sibi voluerit, nemo dicit dicetque. Neque iustam nonnullis offensionem praebuit, quod Spe relicta generis humani curam quandam Iuppiter habuerit, de quo paulo post sub narrationis exitum iterum pronuntietur v. 105

οὕτως οὔτι πη ἔστι Διὸς νόον ἐξαλέασθαι.

Nam hic versus quin ad similitudinem Theogoniae v. 613

ὣς οὐκ ἔστι Διὸς κλέψαι νόον οὐδὲ παρελθεῖν

ab interpolatore adpictus sit, vix dubitari poterit, si accuratius utriusque narrationis finem consiliumque perpenderimus. Illa enim sententia

de Iovis vi inevitabili ut in Theogonia summam efficit, quare aptissime in exeunte narratione inculcatur, ita ab hoc Operum atque Dierum loco aliena est, ubi ipsam potius generis humani miseriam poeta spectat atque explanat: id quod parum percepit, cui Iovis mentio versu 104 iniecta tritae illius sententiae repetendae ansam dedit. Sed ne nostrates quidem diversam utriusque narrationis rationem satis respexisse videntur: quod si fecissent, ni fallor abstinuissent et a culpando in hac parte poeta et a damnando carmine quasi perperam illato. Liceat ergo paulo fusius exponere, cur plurimorum de hac re iudicia[1]) nec vera nec iusta esse arbitrer.

Manca imprimis plerisque narratio visa est, unde compilatori potius vel epitomatori quam veteri poetae ipsique Hesiodo eam imputare voluerunt. Velut in eo offenderunt quod versu 48 cum simpliciter dicatur ὅττι μιν ἐξαπάτησε Προμηθεύς, 'quaerentibus quae et qualis illa fraus fuerit et cur tantopere propter eam Iuppiter humano generi succensuerit nihil respondetur', itemque cum versu 56 per σοὶ δ' αὐτῷ μέγα πῆμα Iuppiter Prometheo poenam praenuntiet, nihil postea de supplicio eius comperimus. Hos igitur defectus cum plerique aegre ferrent, ut Twestenius Koechlyus Schoemannus[2]) Bernhardyus Hillerus alii, non defuerunt, qui Hesiodum hoc loco non enarrasse dicerent, quae tum in Theogonia comprehendisset tum omnibus nota fuissent et communi Graecorum memoria divulgata. Fabulam hoc loco haud absconditam tractari verum est, neque tamen sufficit illa ratio: quid enim? num minus nota erant audientibus quae uberius persequitur quam quae modo tetigit

---

[1]) Communem fere criticorum opinionem his verbis Bernhardyus in litterarum graecarum historia vol. II³ part. 1 p. 289 complectitur: '*Ein auffallendes Beiwerk von rhapsodischer Hand enthält die fremdartige Digression von Pandora der ersten Frau, die zum Unheil der Menschen herabstieg. Dieses Füllstück aber, welches zwischen Prooemium und den Mythus von den Geschlechtern übel gestellt und obenhin in schwachen Zügen gezeichnet ist, bedeutet wenig mehr, als eine matte Nachbildung des verwandten Episodiums in der Theogonie, wo die Reflexion über die Geschichte des Menschengeschlechts am Platze war und auch in entwickelter Rede sich ausspricht*'.

[2]) Prope in hac de epitomatore quodam opinione Schoemannus abest ab eo, cuius acerrimus adversarius esse solet, Koechlyo ('*Akad. Vortr. u. Abhandl.*' I p. 389 sqq.): nisi quod ille ingeniose quidem, sed nimis ingenio indulgens restituere conatus est vetus aliquod de Prometheo carmen epicum, ex quo excerpta esse sibi finxit et quae in Theogonia exhibentur et hoc quod tractamus poema. Confusa denique Steitzii de hoc carmine et imprimis de versu 56 disputatio est, quam missam facio.

poeta? Quare qui potuerit nonnulla omittere, ex communi Graecorum memoria intellegimus, cur omiserit, non intellegimus. Omisit vero quae non facerent ad consilium quo ductus ad fabulam enarrandam Hesiodus deverterat. Namque in Theogonia illustrat quam perverse perdite perniciose Prometheus Iovem impugnarit: in Iovis enim honorem omnem omnino Theogoniam compositam esse adeo apertum planumque est, ut exinde multa declarentur. Quocirca attendendum ibi erat, ut diligentius designaretur et fraus illa qua se deorum principem decepisse Prometheus vana opinatus erat superbia, et poena tantam quae subsecuta erat superbiam. Praeterea etiam in Theogonia est quod non minus obiter indicetur quam res modo commemoratae in Operibus ac Diebus, quippe cum illud poetae consilium non attingeret. Unde enim exoritur illic fabula v. 535

καὶ γὰρ ὅτ' ἐκρίνοντο θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι,

quaerentibus nobis quae et qualis causa inter deos hominesque agitata placataque sit, nihil respondetur: quin immo hanc rem iam propter fontium penuriam non satis nos expedire possumus! at qui audiebant Hesiodum procul dubio bene eam compertam habebant, ut praeterire poetae liceret, quae minus viderentur necessaria ad fabulae tenorem quem in Theogonia servaret. Iam ergo eodem prorsus modo in Operibus ac Diebus quae significata sunt significasse satis habuit poeta: in hoc enim carmine non ipsam Promethei Iovisque litem persecutus est, sed peiorem in omni vita humana condicionem ex lite illa derivare studuit [1]. Ex hoc poetae studio et quae omisit et quae exposuit per-

[1] Qui ad inferendam fabulam descendat poeta quo melius appareat, pauca addenda sunt de versibus 40 sqq. saepissime perperam tractatis. Eo enim qui antecedit versu cum egregie Schoemannus probante Flachio restituerit οἳ τήνδε δίκην ἐθέλοντι δίκασσαν, satis mirum est hos ipsos criticos — neque alia Hetzelii est opinio prorsus hoc loco delirantis — versus 40. 41 a prioribus divellere et compositori tribuere. Atqui illa demum scriptura reposita etiam hi versus optime procedunt. Per se autem absona est opinio versus sermonis proprietate non minus quam sensus argutiis insignes

νήπιοι οὐδὲ ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς
οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ

'non aliam ob causam insertos esse, quam ut transitus ad insequentem expositionem fieri possit'. Tales versus quomodo comparati esse soleant, apte demonstrant versus 106 sq., quibus aliena illa de quinque aetatibus fabula tenui filo constringitur, similesque loci. Versus 40 sq. si qui alii integri sunt atque Hesiodei. Quorum versuum cum prior modum commendet posterior frugalitatem arguto uterque

cipienda sunt: quod si neglegimus ne ab epitomatore quidem qui talis proficisci potuerit narratio perspicimus. Nam id omnino non anquisiverunt critici, ut solent in hac re parum curiosi esse: quasi ipsum nomen epitomatoris vel concinnatoris vel interpolatoris ad difficultatem expediendam sufficeret. Quare quod Schoemannus dicit, quem ceterorum instar appello, sic comparatam esse hanc narrationem 'ut veteri poetae a nullo qui quidem mediocriter sapiat tribui facile possit', his similibusque edictis haud perterriti Schoemannum aliosque perperam de poeta epico cogitasse intellegimus, non de tali qualis tractandus erat; itemque quod ea 'quae maxime ad r e m pertinebant parum curasse' narratorem questus est, perperam 'rem' per se ipsamque de Prometheo fabulam spectavit neque id respexit quo ipse antea recte dixit hanc partem omnem pertinere, ut frugalitatis necessitas et unde haec hominibus iniuncta sit exponatur. Huius autem rei simplicem veritatem non magis amplexi sunt, qui poetam parum feliciter defendebant Rankii Vollbehriique.

Iam Lehrsius l. s. s. p. 221 sqq. tres partes seiungendas esse censuit: 1) Iuppiter Prometheo propter fraudem Meconeam iratus victum hominibus abscondidit v. 42—49; 2) Iuppiter propter fraudem Meconeam primum ignem abscondidit, hoc deinde per Prometheum recuperato Feminam creavit, quam Epimetheus accepit, quae facta calamitas hominibus v. 50—88. 3) Mala per Feminam venerunt maligne dolium quod ea conservaret aperientem v. 90—104. Partibus sic divisis primum quidem Lehrsius prorsus novam atque inauditam constituit fabulam, cum Iovem victum hominibus abscondidisse propter fraudem Meconeam fingat. Hesiodus vero cum vitae humanae condicionem in peius mutatam ex Promethei facinoribus deduceret, qui putandus

sermone conspicuus, ineptiunt qui alterum ab altero separare volunt. Recte sic omnia se excipiunt: principes tibi ex voluntate tua ius dixerunt, neque tamen verum sic respexerunt commodum tuum, quod in modo consistit atque frugalitate. Talem curam quod Lehrsius Steitziusque negarunt iudicum esse alter de omni desperans conexu alter sensum verbis intrudens quem nec per se habere possunt nec per orationis decursum, non video quid talis dubitatio extrinsecus ascita ad interpretationem conferat, praesertim cum omnino nesciamus quanta Persi ὅλῳ γένει cum regibus familiaritas intercesserit. Iam vero quae secuntur ad versum 41 optime quadrare dudum G. Hermannus praeeunte Welckero docuit (Opusc. IV p. 223; '*d. Aeschyl. Tril. Prom.*' p. 73), dum modo ex poetico dicendi genere imaginem de malva asphodeloque percipias neque adeo ab omni veri sensu destitutus sis, ut propriam horum verborum notionem premas: id quod in Hetzelium Steitziumque cadit.

est aliam confinxisse fabulam atque illam quae et antiquissima et pulcherrima erat? Neque tale quid commisisse videtur, nisi verba tradita per vim atque violentiam dirimimus. Nam quod priore loco κρύψαντες βίον dixit, non modo excusationem habet quam nonnulli excogitarunt, sed necessario requiritur. Ille enim versus, qui transitum parat a generali sententia ad ipsam fabulam inferendam, latius patet simulque complectitur et vitae humanae detrimenta per ignem ablatum concepta et eam quae recuperato per Prometheum igne secuta est condicionem. Quodsi haec verbis κρύψαντες βίον complectitur, rerum veritati communique veterum opinioni respondet: nam ignis tanquam fundamentum habetur victus cultusque omnis hominum, quo ablato ferarum ritu potius vivendum esset[1].

---

[1] Koechlyus ubi in editione sua Lehrsii sententiis sese addixit diductis litteris κρύψαντες et ἔκρυψε exhibens significavit se hanc quoque partem eis adnumerare, quas non modo ad argumenti similitudinem, verum etiam ad verborum vibrantium repetitionem collatas esse praeeunte Lehrsio cum aliis existumaret. Unde liceat exspatiari ad hanc quaestionem brevi diiudicandam. Etenim ut dubitari nequit quin late pateat in carmine Hesiodeo locorum plus minusve similium coacervatio, ita longe a vero aberrasse mihi videntur Lehrsius eiusque asseclae in finibus huius rei constituendis. Atque ipsum Lehrsium captum nova quam concepit opinione saepius non tam diligenter observasse quam vehementer arripuisse quidquid sententiae suae favere videretur, quis non excusabit? indignum vero est alios iurare in verba Lehrsii eiusque errores iterum iterumque proferre. Haud raro enim neglecto sententiarum progressu ubi in longiore expositione idem saepius vocabulum redit — id quod evitari nullo modo nec potest nec debet — ipsam repetitionem urgent suspectamque habent. Itemque vanam speciem umbramque secuti sunt, ubi verborum vibrantium elementa ex ordine alphabetico exhiberi crediderunt. Illud uberiorem desiderat disquisitionem quam quae per excursum comprehendi possit: de hac re gravissima complectar. Itaque post Δ cum E sequi statuerent, ad argutias confugerunt. Nam poetam primum de δίκῃ dicere (v. 213 sqq.) deinde de ἔργοις (v. 298 sqq.) ex ipso carminis consilio profluit: quo iam de duplice Eride fabula exordio prolata ducit, unde res fratris animumque eius ad δικάζεσθαι quam ad ἐργάζεσθαι propensiorem perstringit. Quae cum ita sint, non potest non casu factum videri quod illa vocabula a litteris sese excipientibus incipiunt. Accedit vero quod ne continuantur quidem recte litterae. Nam in eis qui interponuntur versibus 286—297 Ἐσθλὰ et Ἐσθλὸς distinxerunt: at priore loco σοὶ δ' ἐγὼ ἐσθλὰ νοέων ἐρέω, μέγα νήπιε Πέρση nequaquam ἐσθλὰ illud efferendum est, sed versu exstat transitum faciente ad sententiam quae ad Κακότητα et Ἀρετήν pertinet; alterum autem illud Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ex sententia componitur cum praemisso οὗτος μὲν πανάριστος et insequente ὃ δ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ, ut temerarium sit medium ἐσθλός vocabulum ipsamque E litteram notare. Pari iure vel potius iniuria Koechlyus νοεῖν vocabulum cum ἐσθλὰ illo coniunctum et per secundam sententiam saepius repetitum pressit. Similiter res se habet, ubi deinde v. 342—360 Γ et Δ sese excipere volunt. Nam et ad γείτονος notionem et ad διδόναι

Tum quia versus 90—104 Lehrsius seorsum comprehendit (itemque Koechlyus Flachius alii) de primi versus scriptura

πρὶν μὲν γὰρ ζώεσκον ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων

quaestio instituta est, quae tamen in ipsa re decernenda nullius fere momenti est. Nam postquam Lehrsius remota γάρ particula utpote quae concinnatoris esset πρῶτον μὲν ζώεσκον vel τὸ πρὶν μὲν ζώεσκον olim extitisse coniecit, Flachius cum optimo codice Mediceo nisus, qui metro violato γάρ omittat, tum deterioribus duobus, qui πρώτην μὲν ζώεσκον exhibeant, Lehrsii suspitionem auxit. Sed fac veram esse scripturam πρώτην μὲν — quod haud equidem negaverim — vel sic ad conectendam orationem sufficit tum μέν particula tum πρώτην vocis notio, quae ad rerum statum antea descriptum respiciat. Utramque vero narrationem et alteram et tertiam quales Lehrsius constituit per se mancas esse ipse Flachius concessit [1]) verbis ὅτε δὴ κακὸν εἴχ' ἐνόησεν concludi non posse priorem perspiciens, caput alteri deesse: quocirca simile aliquid ac deinde narratur in pristino carmine extitisse non infitias ivit, attamen ipsum quod insequitur 'fragmentum' ab Hesiodo abiudicandum esse duxit. Iam si quaerimus quid hoc iudicium excitaverit, in eadem re haesit ille, quae omnibus fere interpretibus scrupulum iniecit: nullo vinculo adhibito mentionem dolii malis impleti nobis offerri, quod unde devenerit in manus mulieris, hoc quod legimus carmen non contineat. In hac re qui offendunt Hesiodum interpretari nesciunt. Postulant enim, ut in fabula enarranda epici poetae officium expleat, cum ille

vocem diversa proverbia conflata esse luce clarius est: attamen ipsa elementa Γ et Δ nihil valent. Praemittitur enim versus 342 artissime coniunctus cum illis ad γείτονα pertinentibus τὸν φιλέοντ' ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ' ἐχθρὸν ἐᾶσαι, insequitur autem versu 352 proverbium ad Κέρδος spectans: similiter proverbiis ad διδόναι tendentibus cum praemittitur versus item artissime coniunctus τὸν φιλέοντα φιλεῖν cet. tum adponuntur quae σμικρόν vocabulum urgent non minus arte coniuncta — quaenam ergo est quaeso litterarum principalium in his sententiis componendis gravitas? Paribus argutiis, ut versus 368 sq. (μέσσοθι) et 370 (μισθός) ad M litteram trahantur, in priore proverbio μέσσοθι distinguunt quod plane respondet coniunctis verbis ἀρχομένου et λήγοντος. Argutius etiam v. 379 πλεόνεσσι vocis litteram principalem praecedente παῖς urgent: illud enim πλεόνεσσι sensu omnino cassum est nisi ex antecedentibus παισί subintellegas — quare in versibus adeo per sensum constrictis num quid tribues singulis litteris? Utinam igitur desinant tandem qui Hesiodum edunt haec artificia oculis inculcare, quae ut digito potius quam mente carmina legas alliciunt.

[1]) '*System der Hesiod. Kosmog.*' ed. Lips. a. 1874 p. 54. 56.

fabulam omnibus notam in carmen didacticum et paraeneticum adhibeat. Planissimum hoc ni fallor exemplo fiet. Nobis nonne licebit talem conserere sermonem: olim beatam vitam hominem in caelo transegisse: at postquam mulier pomum viro dedisset, laborem omnem miseriasque supremas humano generi obtigisse? Num postulares ut omnia singillatim declararet scriptor de arbore illa fatali et quae sunt reliqua? Atqui pomum illud quid sibi velit et unde devenerit nescit nisi quis biblicam historiam teneat nostraque religione imbutus sit: quin immo si post multa saecula alieni homines philologi singulare eiusmodi carmen invenirent deletis per temporum iniuriam fontibus amplioribus, ne divinare quidem possent quae apud nos vel pueruli intellegunt: ac fortasse non deessent critici sagacissimi, qui talem fabulam confici potuisse negarent nisi ab epitomatore quodam vel compilatore miserrimo. Illud autem quod proposui exemplum[1] nonne tam simile est Hesiodeo quod tractamus quam lac lacti simile est? Iam vero rem adeo simplicem apertamque ut mihi saltem videtur qui non perspexerunt critici aut eum qui haec carmina concinnarit ut imbecillum increpant aut artis criticae instrumenta crudeliter exercent cum poeta severe agentes, sibi nimis indulgentes.

Itaque his expositis liceat versuum de quibus disputavimus vernaculam interpretationem proferre, quo melius appareat utrum ita hoc carmen comparatum sit, ut veteri poetae a nemine qui quidem mediocriter sapiat tribui facile possit, an non indignum videatur Hesiodo, quem in hac ipsa carminis parte veterum non pauci admirati sunt.

So war nicht nur eine Geburt von Eris — auf Erden
Sind es zwei: die eine mag wohl der Verständige preisen,
Tadel behaftet die andre; sie sind zwiespält'gen Gemüthes.
Denn es fördert den bösen Krieg und Hader die eine,

---

[1] De altera cogitare possis dolii explicatione quae tamen minus videtur probabilis esse: ut non ipsam historiam de dolio malorum a Femina illato omnibus notam fuisse statuas, sed usu potius receptam imaginem de malis in dolium coactis: quam apud Homerum usurpari nemo ignorat; neque absimilis est imago nobis non minus quam Graecis usitata de poculo malorum (cf. praeter ceteros Aeschylus Agam. v. 1362 τοσῶνδε κρατῆρ' ἐν δόμοις κακῶν ὅδε πλήσας ἀραίων αὐτὸς ἐκπίνει μολών). Tum ex hoc demum Hesiodi loco illam de Pandorae vase fabulam derivatam esse appareret: quod tamen cur minus probabile esse dicam non est quod fusius exponam.

Schreckliche, nicht ein Mensch liebt diese, sondern gezwungen
Nach der Unsterblichen Rath ehrt man die lästige Eris.
Aber die andre gebar zuvor die düstere Nacht, sie
Machte der Kronossohn hochwaltend, thronend im Aether,
In den Wurzeln der Erd' und im Menschen um vieles gewalt'ger.
Sie ja weckt auch gleich zum Werk des Müssigen Hände:
Denn so wer einen andern erblickt, einen Reichen, zum Werk sich
Sehnend strebet er schnell zu ackern und zu bepflanzen,
Wohl das Haus zu bestellen: und Nachbar eifert mit Nachbar
Strebend nach Wohlstand! dies ist die gute Eris den Menschen[1].
Du, o Perses, schliesse das ein in deinem Gemüthe,
Und nicht wende vom Werk die schadfrohe Eris das Herz dir
Als einem Händelsucher, des Marktes müssigem Horcher.
Denn gering nur bleibet die Zeit für Händel und Märkte
Jeglichem, der zu leben nicht hat auf Jahre gespeichert,
Was da träget die Erde, gezeitiget, Korn der Demeter.
Wer dess hat die Fülle, der mehre Händel und Hader
Ueber fremden Besitz, — für dich gilt nimmer zum zweiten
Solches zu thun! nein, lass uns hier entscheiden den Handel
Nach den geraden Rechten, die Zeus entstammen, die besten.
Denn wir theilten ja schon das Erbe, und vielerlei trägst du
Sonst vom Raube davon, da stark du beehrtest die Fürsten,
Gabenfresser, die dieses Recht dir zu Willen gerichtet!
Wissen — die Thoren! — nicht, wie viel mehr als das Ganze die Hälfte,
Noch wie sehr zum Frommen die Malve und Zwiebel gedeihet.
Denn es versteckten dem Menschen davon er lebet die Götter:
Leicht ja könntest du auch an einem Tage erwerben,
Dass du wohl habest ein Jahr hinaus, gleich ohne Bemühung —
Schleunig hiengest du auf das Steuer über dem Rauche,
Und es vergiengen die Werke des Stiers und geduldigen Maulthiers.
Aber Zeus versteckt' es, erzürnt in seinem Gemüthe,
Weil ihn schwer betrog der Arglistsinner Prometheus.
Desshalb also ersann er den Menschen traurigen Kummer;

[1] [*Und der Töpfer grollet dem Töpfer, Zimmrer dem Zimmrer,*
Und der Bettler neidet den Bettler, Sänger den Sänger.]

Da versteckt' er das Feuer; das wieder stahl für die Menschen
Vom sinnreichen Zeus des Iapetos wackerer Knabe[1].
Den sprach drauf erzürnt der Wolkensammeler Zeus an:
'Sohn des Iapetos, du vor Allen in Ränken erfahrner,
Freust dich, Feuerdieb, ob meiner Sinne Bethörung —
Dir selbst gross Leidsal und auch zukünftigen Menschen!
Denen werd' ob des Feuers ein Uebel ich geben, daran sie
All sich ergetzen das Herz — ihr eigen Uebel umarmend!'
Also sprach auflachend der Vater der Götter und Menschen;
Und er befahl dem hochberühmten Hephaestos in Eile
Erde mit Nass zu mengen und einzusetzen des Menschen
Stimme und Kraft, unsterblichen Göttern ähnelnd im Antlitz
Einer Jungfrau schön anmuthiges Bild; doch Athene
Hiess er Werke zu lehren, zu weben am künstlichen Webstuhl;
Und um das Haupt zu ergiessen die goldene Aphrodite
Liebreiz, schmerzliches Sehnen und markzerschneidende Sorgen;
Dann hiess hündischen Geist sowie verstohlene Sitte
Hermes er einzuthun, den Geleiter, den Argostödter[2].
Aber nachdem die jähe, heillose List er vollendet,
Sandte der Vater zum Epimetheus den rühmlichen Hermes
Mit der Gabe, den schnellen Götterboten: da dachte
Nicht Epimetheus, wie ihm Prometheus sagte, nie soll' er
Nehmen die Gab' des olympischen Zeus, nein, wieder zurück sie
Senden, dass sie zum Uebel nicht den Sterblichen werde;

---

[1] [*Heimlich, in hohlem Rohr, vor Zeus dem Blitzeentsender.*]

[2] [*Also sprach er; sie aber folgten dem Herrscher Kronion;*
Und aus Erde sofort erschuf der berühmte Behende
Einer züchtigen Jungfrau Bild nach dem Rath des Kroniden,
Gürtet' und schmückte sie die helläugige Göttin Athene,
Und des Liebreiz Göttinnen sammt der herrlichen Peitho
Legten gülden Geschmeid ihr an, und kränzend umwanden
Die schönlockigen Horen sie dann mit Blumen des Lenzes;
(Allen Schmuck anpasste dem Leib ihr Pallas Athene;)
Und in der Brust ihr schuf der Geleiter, der Argostödter
Lug und Schmeichelgedanken sowie verstohlene Sitte,
Nach Zeus Rath, des Donnrers, und that ihr Sprache herein dann,
Er, der Götterherold: Pandora benannte er aber
Dieses Weib, weil alle Bewohner olymp'scher Paläste
Ihr eine Gabe gegeben — ein Leidsal fleissigen Männern.]

Er aber nahm sie, und da er das Uebel hatte — erkannt' er's.
Ehe lebeten ja auf Erden die Sippen der Menschen
Für sich sonder Uebel und sonder lastender Mühsal,
Schmerzlicher Seuchen auch, die da Tod den Männern gegeben[1]*:*
Aber das Weib vom Fass abhebend den mächtigen Deckel
Streute sie aus und sann den Menschen traurigen Kummer.
Einzig blieb daselbst im unreissbaren Gebäude
Innen die Hoffnung unter des Fasses Mund und entflog nicht
Auswärts: denn vorher warf zu sie den Deckel des Fasses
Nach des Wolkensammlers, des aegishaltenden Zeus Rath.
Aber tausend anderes Traurige schwärmt zu den Menschen:
Voll fürwahr ist die Erde von Uebeln, voll das Gewässer,
Seuchen kehren zu Tage so wie zu Nacht bei den Menschen
Ein, von selber bewegt, und bringen den Sterblichen Uebel
Ganz in der Still' — da die Stimme entnommen Zeus der Berather[2]*.*

---

[1] [*Denn unter Uebeln altern hin die Sterblichen schleunig.*]
[2] [*Also geht es nicht an dem Geist des Zeus zu entrinnen.*]

DE FORIS ATHENARUM

SCRIPSIT

GUILELMUS GURLITT

Topographia quam vocant urbis Athenarum per viginti qui modo praeterlapsi sunt annos tanta incrementa cepit, quanta nulla fere disciplinarum antiquariarum. Quae cum fundamentis duobus innixa sit, testimoniis veterum accurate perscrutandis C. Bursianus et C. Wachsmuthius, locorum et aedificiorum reliquiis vestigiisque indagandis E. Curtius et homines docti qui ἑταιρίᾳ ἀρχαιολογικῇ moderantur maximo cum fructu operam navarunt. Iam in libro C. Wachsmuthii[1]) praeter Pausaniae descriptionem omnia fere testimonia ex historicis, oratoribus, poëtis, grammaticis, scholiastis, lexicographis petita itemque hominum doctorum de iis opiniones et commenta acri studio composita ac via et ratione diiudicata invenies. E. Curtius[2]) autem cum laboriosa munimentorum et monumentorum investigatione ac descriptione tum locorum naturae, qualis nunc est et fere per omne tempus fuerit necesse est, subtili cognitione et adumbratione pro virili parte effecit, ut priscum nobis Athenarum statum iam oculis videre et per vicos ac plateas tamquam ambulare videamur.

Sed ut liberum sit animo concipere imaginariam antiquae urbis formam: quae in chartam conicias, severioribus demonstrationis vinculis adstringenda sunt. Qua imbutus sententia cum secundam ex tabulis urbis Athenarum nuper delineatis contemplarer, saepe frustra quaesivi, quibus

---

1) *Die Stadt Athen im Alterthum* I. *Leipzig* 1874.

2) *Atlas von Athen. Herausgegeben von E. Curtius und I. A. Kaupert. Berlin* 1878.

argumentis illi vicorum urbanorum flexus nonnumquam labyrinthei defendi possent, quorum neque vestigia video descripta neque mentionem fieri apud veteres scriptores memini. Quae si aut omnia aut pleraque recte habent, Pisistratidarum certe ῥυμοτομίᾳ quominus nimium tribuamus, prohibemur.

Certi quidem sunt omnes ii vici, qui a portis, quarum quidem situs definiri potuit, in mediam urbem tendunt: certus maxime eius plateae ductus, quae a porta Piraica ad forum Ceramici descendit idque scindens inter porticum Attalicam et Iovis Liberatoris atque per portam Minervae Ἀρχηγέτιδος ad horologium Andronici Cyrrhestae porrigitur; neque minus patet ea platea, quae prioribus temporibus a sacra porta, deinde a Dipylo initium capiens ad porticus Attalicae latus septentrionale indeque ad porticum Hadrianeam tendit: quamquam in tabula non recte delineata videtur. Nam miror Curtio Kaupertove non placuisse Fr. Adleri[1] sententiam, qui plateam ipsam propius ad forum accedere sumit, ita ut duobus illis viculis carere possimus, qui, ut nunc designati sunt, aditum minime splendidum ad forum patefaciunt. Iam dubitari nequit de situ vici tripodum, quem ex monumentis etiamnunc superstitibus cognoscimus, ac recte totus ambulationis circa arcem circuitus e vestigiis depictus est[2]. Alia ita se habere, ut Curtius ea exprimenda curavit, maxime vellemus, sed usque adhuc idoneis ad credendum causis egemus. Velut intricata de pompa Panathenaicae triremis quaestio, de qua Wachsmuthius scite disputavit[3], paucis in charta lineis, in commentario[4] verbis diiudicatur: qui ad arcem aditus patuit, tot hominum doctorum disceptationibus vexatus, iam apparet: angiportum, quo Pausanias ad occidentalem Thesei introitum pervenire potuit[5], summo cum gaudio repperi. Alia deesse videntur cum aut aedificiorum vestigiis demonstrari queant (ut vicus, quem a tergo porticus Attalicae agnoscere debemus), aut ab antiquis scriptoribus commemorentur (ut platea[6]), per

---

1) *Archäologische Zeitung* VII (1875) p. 121 Taf. 10.

2) περιπάτου περίοδος C. I. A. III 409. De meridionali eius parte cf. U. Koehler *Mitth. des deutschen archäol. Instituts in Athen* II p. 239.

3) l. l. p. 285 sqq.

4) p. 14.

5) Gurlitt *das Alter der Bildwerke und die Bauzeit des sog. Theseion* p. 87.

6) alia vicorum nomina vide apud Wachsmuthium p. 353 et C. Bursianum *Geographie von Griechenland* I p. 289.

quam Pausanias a prytaneo ad Serapeum in inferiora urbis profectus est). Sed multo magis tot vicorum vestigia inveniri miramur quam eos, quos scriptores nominant, delineatos esse non omnes.

Quae non ideo disputo, ut de accurata locorum pervestigatione suspicionem moveam, ex qua multa me didicisse et amplius discere posse confiteor: sed ut moneam aegre nos uberiore commentario carere, quem nobis Curtius[1] promittit; ac simul ut demonstrem sola urbis, qualis nunc est, cognitione quamvis acri subtilique hanc de vicis quaestionem ad finem perduci non posse. — Quod vero de vicis, plateis, angiportibus valet, idem de areis publicis sive foris dicendum est, quae Curtius in tabulam suam recepit. Intra urbem sunt haece: area quae meridiem versus sita est apud Theseum quod vocatur; forum Ceramici[2]; area circa horologium Andronici, quae cum foro oleario coniuncta usque ad portam Minervae excurrit; area circa Serapeum, cuius templi vestigia ad aedem cathedralem inventa esse dicuntur. Atque de iis locis publicis forisve paulo accuratius disquirere in animo est, quot qualiaque fuerint et quid valeant ad antiquum urbis statum redintegrandum.

Multis et variis modis impedita est quaestio de foro sive de foris urbis Athenarum, quam post Ulrichsii[3] et Rossii[4] studia topographica E. Curtius[5] historica ratione tractavit. Cuius disputationis haec fere summa est: regibus regnantibus seniores civitatis ante regiam in arce convenisse ibique et comitium et ea fuisse aedificia publica, quae cascae antiquitati tribuere velimus. Deinde post synoecismum forum in meridionali urbis parte ad radices acropolis institutum ibique prytaneum ceteraque aedificia exstructa esse, quae dum imperium penes patricios esset, rei publicae administrandae inservirent. Atque hoc esse illud forum vetus, de quo Apollodori testimonium extat[6]. Denuo Solonis vel Pisistratidarum temporibus in Ceramico rei publicae imperium ita sedem collocasse, ut non modo ea ἀρχεῖα, de quibus U. Koehlerus

---

1) p. 4.

2) Id hic primum veris finibus circumscriptum videtur.

3) *Reisen und Forschungen* II p. 136. 178. Cf. Wachsmuth p. 153.

4) *Das Theseion und der Tempel des Ares in Athen. Halle* 1852.

5) *Attische Studien* II. *Göttingen* 1865. Idem *Erläuternder Text zu den 7 Karten zur Topographie von Athen. Gotha* 1868 p. 25 sq.

6) Apollodorus ἐν τῷ περὶ θεῶν apud Harpocrat. s. v. Πάνδημος Ἀφροδίτη.

docte disputavit[1], sed etiam prytaneum transferretur. Prytaneum denique quod Pausanias vidit, in arcis medio latere septentrionali exstructum esse, cum circa horologium Andronici Cyrrhestae imperatorum Romanorum aetate novum forum institueretur.

Quattuor igitur haberemus Atheniensium fora publica, quae per temporum seriem hereditaria quadam successione sese exciperent. Quae cum apte cohaerere videretur sententia et urbis quasi quandam historiam adumbrare, cum aliorum tum R. Schoellii[2]) assensum tulit. At nullum in alia urbe talium permutationum exemplum extat, neque ea argumenta prolata sunt, quae Athenis suaderent locum habuisse tam singularem inconstantiam miramque in aedificiis publicis construendis copiam. Itaque C. Bursianus[3]), C. Boetticherus[4]), denique C. Wachsmuthius[5]) contra hanc sententiam disputaverunt: ut dubitem, an ipse Curtius eam totam tueatur. Utique hoc certum est, sacrum communemque focum (τὴν κοινὴν ἑστίαν)[6]) et prytaneum inde ab synoecismo semper uno eodemque loco fuisse. Num igitur unum Athenis forum exstitit? minime vero. Sed accurate distinguas oportet. Unum semper erat forum publicum rei publicae Atheniensium in Ceramico, idque solum aedificiis publicis constructis ac partibus duabus, sacra et profana, constitutis civitatis tamquam centrum obtinuit; cum civitas libera esse coepisset, postea arae duodecim deorum dedicatione, porticuum splendore et statuarum multitudine ornatum est[7]). Sed alia quoque fora Athenis erant. Non loquar de illis foris seu cyclis, quae a rebus ibi venalibus nomina accipiebant, velut χαλκᾶ, κεραμεῖα[8]) aut χλωρὸς τυρός[9]), de quibus iam diu Wachsmuthii disquisitionem exspectamus. Quae utrum antiquo an recentiore tempore instituta sint, nullo modo diiudicare possumus. Equidem de illis tantum foris verba faciam, quae certis ex argumentis urbis tempora aequiparare atque etiam superare mihi videntur. Quae cum eorum demorum fora fuisse sentiam, e quibus urbs

---

[1]) Hermae V p. 331 sq. VI p. 98; cf. eundem *Mitth. etc.* III p. 144.
[2]) Hermae VI p. 19 sq.
[3]) de foro Athenarum. Turici 1865 p. 14 sq.
[4]) Philologi supplem. III p. 331 sq.
[5]) p. 464 sq.
[6]) de quo vide Poll. IX, 40.
[7]) Wachsmuth p. 200 sq.
[8]) Wachsmuth p. 180 n. 1.
[9]) Lys. 23, 7, 8. Bekk. Anecd. p. 73.

Athenarum in unum coaluit, ad antiquae urbis formam recuperandam haud parvi momenti sunt.

Recte Wachsmuthius p. 383 sq. de synoecismi natura exposuit. Duplex enim synoecismus statuendus est, is quo diversae in Attica civitates in unum rei publicae corpus ita coniunctae sunt, ut omnes Attici Athenienses fierent, ne tamen novae ac communis civitatis cives sive omnes sive plerique in urbe ipsa sedes collocarent: et synoecismus urbanus, quo e communibus sive demis, qui circa arcem siti erant, una illa urbs extitit, quam oraculum Delphicum apud Herod. 7, 140 recte πόλιν τροχοειδέα appellavit. Tunc ut totius civitatis Atticae, sic etiam urbis Athenarum (τοῦ ἄστεως) unum forum constitutum est, ut Atticorum et Atheniensium publicum forum esset, quod a demo in quo situm erat ipsum quoque Ceramici nomen accepit. Atque hi pagi ut urbis partes κῶμαι i. e. regiones appellabantur, ut civitatis δῆμοι. Nam sic interpretanda esse verba Isocratis Areopagitici § 46: διελόμενοι (οἱ παλαιοί) τὴν μὲν πόλιν κατὰ κώμας, τὴν δὲ χώραν κατὰ δήμους, vocabula Τρίκωμοι et Τετρακωμία docent[1]. Qui ea systemata componebant tres aut quattuor pagi ut unius corporis civilis partes κῶμαι et erant et nominabantur, ut totius civitatis partes δῆμοι: ac simili modo eas consociationes demorum quo urbem Athenarum ortas esse patet. Prorsus aliter res sese habet, ut ipsum nomen docet, in Tetrapoli Attica[2]. Neque enim partes civitatis alicuius in planitie Marathonia coierunt, sed quattuor civitates liberae ac sui iuris foedus perpetuum antiquissimis temporibus percusserunt.

Sed ut ad urbem redeam, demos urbanos urbis κώμας esse dixi. Non ignoro aliter Te, vir summe, rem diiudicasse in libello in quo de demorum urbanorum numero eorumque per tribus distributione disputans primus elaborasti, ut luculentam imaginem antiquae urbis e demis compositae animo informares: quae imago sua se ipsa simplicitate commendat, ut sane vellemus Clisthenem ita rei publicae ordini consuluisse[3]. Sed quae ibi p. 11 composita sunt, ut κώμας partes

---

[1] Leake *die Demen von Attika. Uebersetzt von A. Westermann* p. 22. 25. E. Kuhn *über die Entstehung der Städte der Alten* p. 60. 61.

[2] E. Curtius in *Abh. der Berl. Akad.* 1854 p. 228 sq. Gurlitt de tetrapoli Attica. Gottingae 1867. E. Kuhn l. l. p. 59.

[3] de demis urbanis Athenarum. Vimar. 1846 p. 23 sq.

esse demorum probaretur, sicut vici partes sunt regionum XIV urbis Romae, mihi quidem rem non expedire videntur, quia in iis technicam quae dicitur vocabuli significationem desidero[1]. Ac tantum abest, ut κῶμαι partes sint demorum, ut uno quidem exemplo duos demos urbanos Athenis in una κώμῃ coniunctos fuisse videatur posse demonstrari. Scholiasta Aristophanis Av. 997, qui ex optimo fonte hausit, disertis verbis dicit Κολωνὸν ἀγοραῖον intra Melitam situm fuisse. Huius difficultatis solutio Wachsmuthio p. 348 sq. non prospere cessit. Nam vir doctus et ex hoc loco et ex duobus Harpocrationis[2] quibus Eurysacis aedes Melitae eademque in Colono collocatur, conclusit omnino demum nomine Κολωνὸς ἀγοραῖος numquam extitisse. Quam sententiam, Tibi olim improbatam l. c. p. 18. 19, W. Dittenbergerus[3] inscriptionum recens repertarum testimoniis ita refutavit, ut nullus dubitationi locus relictus sit. Quid igitur statuendum est? Nempe κώμη sive regio nominis quod est Melita latius patuit, quam eiusdem nominis δῆμος. Et cum scholiasta ad hanc rem demonstrandam ad librum cui inscriptum erat ὁρισμοὶ τῆς πόλεως provocet, in eo non demorum urbanorum, sed regionum urbis discriptionem comprehensam fuisse suspicor: quod ni fallor ipsi libelli titulo melius convenit.

Atque ex his fortasse scholiastae verbis et ex Strabonis loco conclamato[4], quo modo hic libellus compositus fuerit, expiscari possumus. Nam Eratosthenem, cuius argumentationem Strabo l. l. morose impugnat, eosdem ὁρισμοὺς τῆς πόλεως respexisse mihi quidem certum est. Verba ipsa quae infra adscripsi, nondum recte explicata sunt[5]. Eratosthenes demonstrare vult superfluum esse de orbis terrarum in continentes accurata divisione fusius disputare; iam pergit: 'cum enim, sicut

---

[1]) cf. quae E. Kuhn l. l. p. 190 disputavit. Velut Pausanias χωρίον et Ceramicum appellavit, qui erat δῆμος et κώμη, et Agras, qui δῆμος erat, et hortos (κήπους), qui neutrum erant.

[2]) Harp. s. v. Εὐρυσάκειον. Id. s. v. Κολωνέτας.

[3]) Hermae IX p. 403 sq.

[4]) I p. 65: μὴ ὄντων γὰρ ἀκριβῶν ὅρων καθάπερ Κολυττοῦ καὶ Μελίτης, οἷον στηλῶν καὶ περιβόλων, τοῦτο μὲν ἔχειν φάναι ἡμᾶς, ὅτι τουτὶ μέν ἐστι Κολυττός, τουτὶ δὲ Μελίτη, τοὺς ὅρους [δὲ add. secunda manus in AB] μὴ ἔχειν εἰπεῖν. διὸ καὶ συμβαίνειν κρίσεις πολλάκις, καθάπερ Ἀργείοις μὲν καὶ Λακεδαιμονίοις περὶ Θυρέας, Ἀθηναίοις δὲ καὶ Βοιωτοῖς περὶ Ὠρωποῦ.

[5]) cf. Wachsmuth p. 351 sq. et quos excitavit interpretes.

Colytti et Melitae[1] non sint certi termini, velut columnae aut saepta, id tantum dicere possumus, hic est Colyttus, haec est Melite; terminos significare non possumus. Ac propterea saepe lites incidunt, quemadmodum Lacedaemonii cum Argivis de Thyrea, Athenienses cum Boeotiis de Oropo disceptaverunt': scilicet non ideo disceptaverunt, quod nesciebant, quae Lacedaemoniorum, quae Argivorum terra esset, sed quia regnorum fines non certis terminis (ὅροις), ut agri, determinantur. Quodsi Eratosthenis sententiam, quam Strabo decurtatam tradidit, supplere volumus, haec fere addenda sunt: 'sic etiam dicere possumus, haec est Asia, haec est Europa, sed certos terminos pangere non possumus nec prohibere, quominus altera continens partem alterius ad se trahat, ut regna quae nominavi'. Sic demum inter se cohaerent, quae Eratosthenes loquitur; quem Strabo p. 66 nimio reprehendendi studio commotus maxime verbis 'διὰ τὰς τῶν ὅρων ἀγνοίας' perperam adiectis sensu cassa dicentem facit.

In illis igitur ὁρισμοῖς τῆς πόλεως non tam fines singularum urbis regionum explicati, quam quae singulae regiones continerent vicos, fana, aedificia alia, enumerata erant. Idque etiam scholiasta l. l. innuit, cum dicat: Μελίτη γὰρ πᾶν ἐκεῖνο, non fines regionis referens, sed omnia ea loca, de quibus agitur, in regionis Melitae descriptione recenseri affirmans. Itaque libellus, de quo loquimur, plane eodem modo concinnatus erat, quo Romana 'notitia regionum urbis XIV'[2].

Quae si recte disputata sunt, etiam urbs Athenarum aeque atque ea quam supra nominavimus Τετρακωμία erat: certe plures quam quattuor κώμας in urbe fuisse nondum demonstratum est. De sacris autem, quae huic κωμῶν communioni propria erant, h. l. quaerere distuli, ad propositum rediturus.

Iam vidimus regiones urbis a demis quidem nomen accepisse, sed factum esse, ut singulae regiones non modo unum, sed plures demos complecterentur. Qua in re quid primum, quid secundum fuerit, utrum demi qui iam extarent in singulas urbis regiones distributi sint, quae a potiori nomen acceperint, an postea demum, fortassis cum Clisthenes

[1] adde: ita etiam continentium. Ac patet demos nusquam saeptis (περιβόλοις) circumdatos fuisse.

[2] Iordanus *Topographie der Stadt Rom im Alterthum* II p. 540 sq. Cf. quae disputavit idem p. 1 sq.

rem publicam ordinaret, regiones quae tunc eaedem fuerint ac demi, in plures demos divisae sint, in tanta testimoniorum penuria nemo discernere poterit. Hoc certum est, demos sive quo alio nomine prisca illa communia appellare mavis — de numero eorum nunc non qnaero — iam diu ante conditum astu Athenarum solum circa arcis radices occupasse.

Nota sunt, quae E. Curtius et C. Wachsmuthius docte de Pelasgis arcis incolis, de Ionum colonia ad Ilisum, de Phoenicum aliarumque gentium peregrinarum ad occidentales Athenarum colles adventu disputaverunt. Quarum rerum perobscura memoria maximam partem ex historia fabulari et religionum cultuumque comparatione resuscitata est ita tamen, ut illa antiquissima oppida per nebulam tantum videre possis. Sed remanebant in urbe ipsa, qualis per tempus inde a Solone usque ad Pausaniae adventum fuit, certa prisci status vestigia. Inter ea demorum fora numeranda esse iam indicavi. Sed priusquam de iis ipsis disseram, brevi demorum agrestium perlustratione, quid eorum foris proprium fuerit, exponam.

De demorum ἀγοραῖς primus Schoemannus[1]) dilucide nt assolet exposuit; qui a Clisthene, cnm decem phylas institueret iisque decem heroes eponymos praeponeret, denos singulis phylis demos attributos esse iisque centum heroes eponymos datos esse luculenter demonstravit. Quae sententia a Te firmissimis argumentis munita est (de demis nrbanis p. 5). Quot autem ante Clisthenem demi extiterint, in incerto est, neqne ego me in hanc difficillimam quaestionem abripi patiar[2]). Idem Schoemannus docuit demorum comitia sive conventus semper vetere et sollemni vocabulo ἀγοράς appellari, nniversi populi Atheniensium ἐκκλησίας: locum autem conventus et conventum ipsum eodem nomine indicari nota res est. Atque hic usus inscriptionibus, certissimis testibns, utique comprobatur.

In decreto Piraeensium (C. I. A. II 573, 9), praecipitur, ut titulus collocetur in foro paganorum (στῆσαι ἐν τῇ ἀγορᾷ τῶν δημοτῶν); in eiusdem pagi decreto prorsus simili, nt ponatur in fano Vestae (C. I. A.

---

[1]) de comitiis Athen. Gryphisw. 1819. p. 27 sq. p. 376 sq. Id. antiquitt. iuris publ. Graec. Gryphisw. 1838 p. 204 sq. *Die Verfassungsgeschichte Athens etc. Leipz.* 1854 p. 61 sq.

[2]) In universum probo quae A. Philippi de iis exposuit, *Beiträge zu einer Geschichte des att. Bürgerrechts. Berlin* 1870 p. 149. 158. 166: nisi quod inter demos urbanos et rusticos discrimen intercessisse nego.

II 589, 38 στῆσαι ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἑστίας): unde non modo apparet hoc Vestae templum in Piraeo demo fuisse [1]), sed idem ad illud forum paganorum situm esse; quae etiam Bursiani sententia est (*Geogr.* I p. 270). Hoc vero forum diversum est et a celebrato illo Hippodamio [2]), et ab altero, quod ad mare situm erat [3]). Nam forum Hippodamium ad urbem Piraeum pertinebat, quae e Piraeo et Munychia demis constabat [4]), neque vetere religione sacratum erat, ut pnyx Athenis, quam Athenio apud Athen. V p. 213ᵈ θεῶν χρησμοῖς καθωσιωμένην appellat, sed ad augendum novae urbis splendorem constitutum; quare Pausanias in eo nihil notatu dignum invenit. Forum autem rerum venalium [5]) a tergo erat longae porticus [6]), statuis Iovis et Demi a Leochare fabrefactis ornatum. Iam tertium accedit forum, de quo in titulo agitur. Atque id quidem Pausanias quamquam disertis verbis non nominat, tamen ab eo, ut est veterum religionum diligentissimus perscrutator, in Piraeo describendo initium capit [7]). Hoc igitur est centrum sacratum antiqui demi [8]), qui in Iovis Servatoris et Minervae tutela erat: hinc pompas ad Heracleum τετράκωμον prope fretum Salaminium processisse consentaneum est: hic etiam Strabonis aetate tenues splendidi quondam oppidi reliquiae superstites erant [9]). Quae si vere disputata sunt, ad forum demi Piraei templa tutelarium deorum, aedes Vestae et porticus sive λέσχη aedificata erant: contra omnino desunt divinitates marinae, quarum magnum numerum Phaleri fuisse infra inveniemus; nempe quia Piraeus antiquitus portus non erat.

---

[1]) ut Boeckhius C. I. G. I p. 140 et Hicksius, *collection of ancient Greek inscr. in the Brit. mus.* I p. 22 adnotant.

[2]) cf. Wachsmuth p. 319.

[3]) Paus. I, 1, 3: ἔστι δὲ τῆς στοᾶς τῆς μακρᾶς, ἔνθα καθέστηκεν ἀγορὰ τοῖς ἐπὶ θαλάττης, καὶ γὰρ τοῖς ἀπωτέρω τοῦ λιμένος ἐστὶν ἑτέρα.

[4]) Lys. c. Agor. (13), 32. 55: ἐκκλησία Μουνυχίασιν ἐν τῷ θεάτρῳ. Xen. Hell. II, 4, 32: τὸ Πειραιοῖ θέατρον.

[5]) cf. E. Curtius *Attische Studien* II p. 10.

[6]) Haec longa porticus (μακρὰ στοά) non eadem esse potest atque ea, quam Thucydides (VIII, 90, 5) maximam (μεγίστην) appellat. Nam si, ut par est, Pausaniam in describendo ordinem topographicum servasse statuimus, propius a Veneris templo quam ab Eetionia haec porticus aberat.

[7]) I, 1, 3: θέας δὲ ἄξιον — Ἀθηνᾶς ἐστι καὶ Διὸς τέμενος — ἐνταῦθα Λεωσθένην — καὶ τοὺς παῖδας ἔγραψεν Ἀρκεσίλαος, nimirum in porticu vel λέσχῃ quadam. Quibus Vestae aedem ex inscriptione addere possumus.

[8]) Paus. I, 1, 2: ὁ δὲ Πειραιεὺς δῆμος ἦν ἐκ παλαιοῦ — ἐπίνειον οὐκ ἦν.

[9]) IX p. 395. 396. E. Curtius *Att. Stud.* II p. 8.

Aexonensium quattuor nobis servata sunt decreta[1]), quibus accedit pactum de agrorum pagi locatione[2]). Quam ultimo loco nominavi inscriptio maximi nobis momenti est, quia in ea praecipitur, ut titulus et in porticu et in fano Iuventutis collocetur (v. 22. 23: στῆσαι τὴν μὲν [scil. στήλην] ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἥβης ἔνδον, τὴν δ' ἐν τεῖ λέσχει). Iam forum Aexonensium, ubi conventus habebantur[3]), in agro fuisse loci ubi lapides inventi sunt demonstrant. Ibique illam lescham fuisse non est quod dubitemus: recte enim Boeckhius de λέσχῃ δημοτῶν cogitavit, non de illis leschis gentiliciis nescio quibus quarum solus Proclus[4]) mentionem facit. Atque ibidem Heraclidarum, Alcumenae, Iuventutis fana coniuncta fuisse, quae e solis his titulis innotuerunt, et per se verisimile est et verbo ἔνδον haud obscure indicatur. Hoc forum Pausanias non attigit, quippe qui in hac parte Atticae oram maritimam perlustrasse satis habuit.

Pauca subiciam de titulo C. I. A. II 571, cuius versu 14 sollemnis formula apparet ... στ[ῆσαι δὲ — ἐν τ]ῇ ἀγορᾷ scil. τὴν στήλην. Qui si re vera apud locum q. d. Ἅλικες (s. Ἁλικαίς) inventus est, — qua de re cur dubitemus non video — cum summa probabilitate a Boeckhio C. I. G. I p. 128 demo, cui nomen est Ἁλαὶ Αἰξωνίδες, adscriptus est. Eius autem descriptionem e Pausaniae verbis I, 31, 1 elicias, qui cum ad promontorium Zostera aram Minervae, Apollinis, Dianae, Latonae inveniret, Ζωστήρ vocabulum, quod loci nomen est, non pagi, falso opinatus est demum significare.

Insignis est inscriptio vetustissima C. I. A. I 2[5]) demi Scambonidarum, in qua bis verba ἐν ἀγορᾷ τῇ Σκαμβωνιδῶν extant, ubi et de conventu et de loco conventus agitur[6]). In columnae *a* versu 14 vocem Θ[η]-

---

[1]) C. I. A. II 579. 581. 584. 585. — Tituli 579. 585 inventi sunt prope locum *Trachones* (Leake *die Demen von Attika* p. 47); 581 a vico *Vári* in collectionem societatis archaeologicae Atheniensis delatus esse videtur: certe in lapide ipso inscriptum inveni: ΑΙΘ. 1341. Βάρης Ἀττικῆς (de vici *Vári* situ cf. E. Curtius *Atlas* p. 30 ad tabulam VIII). Tit. 584 ubi inventus sit ignoratur.

[2]) C. I. G. I 93: id ubi inventum sit, ignoratur; sed recte Boeckhius in lemmate: 'haud dubie ex pago Aexonensium'.

[3]) cf. 585 v. 1. 2: ἐν τεῖ ἀγορᾷ τεῖ κυρίᾳ· ἔδοξεν Αἰξωνεῦσιν.

[4]) ad Hesiod. op. et dies v. 495 ed. Vollbehr. cf. E. Kuhn *die Entstehung der Städte* p. 163. — De lescha Piraei modo verba fecimus, de lescha Thorici infra disputabimus.

[5]) apud Hicksium l. l. I. Cf. supplementa C. I. A. IV p. 4.

[6]) *a* 9 Hicks = C 9 Kirchh. et *c* 20 Hicks = A 20 Kirchh.

σεῖον Hicksius sibi invenisse visus est, unde conclusit forum Scambonidarum prope 'Theseum' quod vocatur in urbe situm fuisse: ubi etiam inventus esse lapis dicitur. Sed et incerta lectio est et ut certa sit, eodem iure Θησείων legi potest: ut hic non alio modo de Theseis atque in columnae *c* v. 13 sq. de Heracleis (?) et Panathenaeis sermo sit [1]. Deinde templo hexastylo dorico in occidentali urbis parte sito falso Thesei nomen datum esse et alii et ego demonstravimus. Postremo demus Scambonidarum non fuit urbanus: situs erat ad viam Eleusiniam prope lacus quibus nomen erat 'Ρειτοί [2]. Sed accuratius etiam locus definiri potest tituli bonae frugis pleni subsidio [3]. Ibi enim fundus memoratur intra fines pagi Thriae situs prope Myrmecem. Certatim viri docti ad Hesychii glossam nos delegant: 'Μύρμηκος ἀτραπούς· Ἀθήνησιν ἐν Σκαμβωνιδῶν ἔστι Μύρμηκος ἀτραπός, ἀπὸ ἥρωος Μύρμηκος ὀνομαζομένη [4]. Illa igitur Μύρμηκος ἀτραπός, quae a Myrmecis herois statua sive sacrario nomen habebat, in confiniis demorum Thriae et Scambonidarum sita erat. Thriae autem pagi locus definitur templi Veneris mentione a Pausania facta [5], quod Dionysius Tryphonis f. in decimo libro περὶ ὀνομάτων ad Thriae demum pertinuisse indicat (Athen. VI p. 255°). Eam igitur planitiem occupavit, quae a faucibus saltus per Aegaleum sive Poecilum montem ad mare Eleusinium tendit. Ibi priscis temporibus munimenta fuisse rudium lapidum muri Cyclopio modo exstructi etiam nunc ostendunt: fines vero inter Athenienses et Eleusinios ex Pausania discimus non ad ea munimenta quae ille quoque vidit, sed ad lacus 'Ρειτούς fuisse. Unde ipsam illam Μύρμηκος ἀτραπόν,

---

[1] Idem Hicksius col. *a* v. 4 acute Leos nomen herois eponymi eius tribus, ad quam demus Scambonidarum pertinebat, indagavit. Ipsa verba Kirchhoffius recte supplevit: τῷ Λεῷ[ι βοῦν τέ]λεον — neque inde sequitur heroem in pago sacrarium habuisse.

[2] Id e Pausaniae I, 38, 2 verbis: λέγουσιν δὲ οὐ πάντες, ἀλλ' ὅσοι τοῦ δήμου τοῦ Σκαμβωνιδῶν εἰσίν concludi posse Wachsmuthius p. 354 n. 3 docuit. cf. Gell *itinerary of Greece* p. 19.

[3] C. I. A. III 61 A II, 26. 27. Θριωσίω(ν) πρὸς τῷ Μύρμηκι.

[4] Haec sumpta sunt e scholio ad Arist. Thesm. vers. 100: cuius loci veram explicationem scholiastam ad h. l. (Suid. s. v. μύρμηκος ἀτραπούς) servasse, cum Hesychii glossa e vana doctrinae ostentatione orta sit, quam etiam ibid. s. v. μυρμήκων ὁδοί· Ἀθήνησι τόπος deprehendas, nihil interest, dummodo vera sint quae tradita sunt; id quod titulus confirmat. — De Myrmece cf. etiam Phot. s. v. et Harpocr. s. v. Μελίτη.

[5] Paus. I, 37, 6. Vide accuratam templi locorumque circumiacentium descriptionem et delineationem apud Curtium *Atlas* VIII 3 p. 30. 31.

quam Pausanias ut alia multa non nominat, hos fines designasse concludas[1].

Forum Scambonidarum quod in titulo bis memoratur ubi situm fuerit, vix dubium est. Nam Pausanias simulac viam secutus, quam inter lacus et montem ductam fuisse etiam nunc rotarum orbitae rupi incisae demonstrant, Ῥειτούς transgressus est, Croconis regiam invenit[2], sepulcrum non invenit, vidit autem monumentum Eumolpi, terrae confini quam maxime aptum. Haec manifesta est fori descriptio, ut et ex iis quae modo disputavi apparet et ex iis quae sequentur elucebit. — Quae deinde enumerantur, heroum Hippothoontis et vicinum ei Zarecis[3], iam prope ad Cephisum accedunt, qui inter Scambonidas et Eleusinem interfluit. Nam hoc proprium est heroum sacrariis aediculisve, quod aut in finibus pagorum aut in mediis demis i. e. in foro constituebantur: ut de Myrmece vidimus, de Lacio heroe infra videbimus.

Ceteri eius generis tituli ad nostram quaestionem nihil novi afferunt. Hoc tamen monendum est omnes de quibus ubi inventi sint constet, si unum excipias Scambonidarum scitum, extra urbem repertos esse: quo probatur demorum fora in ipsis demis fuisse atque ibi comitia paganorum habita. Nam in urbem delatos esse lapides etiam ex longinquo notum est, cum in ipsam adeo arcem magnus sepulcralium titulorum numerus pervenerit[4]: ex urbe rarissime in agrum deferebantur[5].

---

1) Thria igitur a principio pagus Atheniensium erat, quo et explicatur, cur ab extremo Atticae loco Dipylum primitus Θριάσιαι πύλαι nominatum sit, et cur a primo loco, ubi ad planitiem Eleusiniam descenditur, totus campus usque ad Cephisum Eleusinium Θριάσιον πεδίον appellatus sit.

2) I, 38, 2: διαβᾶσι τοὺς Ῥειτοὺς πρῶτος ᾤκει Κρόκων, ἔνθα καὶ νῦν ἔτι βασίλεια καλεῖται Κρόκωνος — ἐγὼ δὲ Κρόκωνος μὲν ἀνευρεῖν τάφον οὐχ οἷός τε ἐγενόμην: conferas Erechthei sepulcrum in Erechtheo positum, Aegei in Delphinio, quae Aegei regia fuit (cf. Gerhard *Griech. Mythol.* §. 302, 1 c).

3) Paus. I, 38, 4: Ἔστι δὲ Ἱπποθόωντος ἡρῷον (Ἱπποθοώντειον Hes. s. v.) — καὶ πλησίον Ζάρηκος — (cf. Herodian. περὶ καθολικῆς προσῳδίας p. 45, 23 Lentz.). De Hippothoonte cf. Paus. I, 39, 3. Preller *Griech. Mythol.* I p. 460. II p. 296. Gerhard § 432, 2 d). Comparari potest Leocorion in Ceramico, Acamantidis tribus demo, et Cecropium in Thria Oeneidis demo conditum (C. I. A. III 61 B II, 40). Ceterum de Scambonidarum demo eiusque sacris fuse egerant Lycurgus (vel Philinus) et Dinarchus in διαδικασίᾳ περὶ Κροκωνιδῶν καὶ Κοιρωνιδῶν Harp. s. vv. Σκαμβωνίδαι. Κοιρωνίδαι. Θεοίνιον. Κυννίδαι. ἐξούλης. ἱεροφάντης. Cf. Athen. X p. 425[b]. Ea fere omnia ad sacra Eleusinia spectant, ut etiam inde demum in terra Eleusiniorum situm fuisse appareat.

4) cf. Wachsmuth p. 53.

5) Id qui factum sit in C. I. A. I 32, facilem habet explicationem. Contra

His expositis iam in Pausaniae quoque descriptione Atticae complurium fororum paganicorum vestigia inveniri posse confido. Qui ipso vocabulo unum tantummodo forum appellat urbis Salaminis[1]), ubi pariter atque in Piraeo vidimus, a foro initium describendi capit. Nam quamquam non potuit, quin a mari in oppidum veniret, foro descripto de lapide Telamonis ad portum sito loquitur, ita ut quae post longum excursum (36, 1) nominat templum Dianae et de Persis tropaeum ad portus oram extitisse videantur. Certe Pausanias non totam insulam peragravit, quia tum Minervae Sciradis templum praetermittere non potuit[2]).

Atque ut hoc in loco ita etiam alias, quae in mediis pagis i. e. in eorum foris invenit, fana atque aras ab eis, quae per campos dispersa erant, accurate distinxit. Hoc ostendit statuarum divinarum in montibus collocatarum, qui tamen intra demorum fines erant, separata enumeratio (c. 32, 1. 2). Phaleri Cereris templum ad portum fuisse, Minervae Sciradis vero et Iovis templa, item aras τῶν ἀγνώστων θεῶν et sepulcrum Androgei ad forum perspicitur[3]). Rhamnunte templum Nemesis non in medio demo fuisse accurate adnotat (c. 33, 2): in Marathonis descriptione res in planitie sitae ab iis, quae in ipso demo erant, disiunguntur (c. 32, 3—33): idemque fit in descriptione Oropi et Amphiaraii (c. 34). Etiam prope Eleutheras Dionysi Eleutherei templum in planitie et antrum Antiopae describit, deinde adnotat urbem paullo longius ad Cithaeronis montis radices abesse (c. 39, 8. 9). Atque ita c. 31 fana enumerata sunt in foris posita Halimusiorum, Halaeensium Aexonensium, Prospaltiorum, Anagyrasiorum, Cephalensium, Prasiensium, Potamiorum, Phlyensium, Myrrhinusiorum, Athmonensium, Acharnensium.

In via Eleusinia describenda, si attente verba perscrutaberis, Pausaniam (c. 36, 3 sq.) diversorum demorum fora breviter enarrantem invenies. Primum Scirum, quod χωρίον Pausanias appellat, mihi quidem forum demi esse videtur, sive is fuit Ceramicus exterior sive Ciriadae. Deinde diversa hominum recentiorum sepulcra transgressus ad sacrarium

---

vid. lemmata inscriptionum II 574 Eleusiniorum; 576. 578 Myrrhinusiorum; 580 Athmonensium; 582 Lamptrensium; 587 Acharnensium; aliorum demorum ignotorum 572. 583. 588.

[1]) I, 35, 3: ἔστι δὲ ἀγορᾶς τε ἔτι ἐρείπια καὶ ναὸς Αἴαντος — δείκνυται δὲ λίθος — οὐ πόρρω τοῦ λιμένος. Salamis num demus fuerit necne, hoc loco non quaero.

[2]) cf. Lolling *Mitth. d. d. arch. Inst. in Athen* I p. 127 sq.

[3]) c. 1, 4; quibus adde Plut. Thes. 17.

Lacii herois pervenit, quod in finibus erat demi Laciadarum: nam unum saltem sepulcrum recentius interiectum est inter hoc sacrarium et Zephyri aram, quae cum Cereris et Proserpinae fano et sacra ficu Phytali ad forum[1] iacebat. Porro inter forum et Cephisi ripam monumento aetatis recentioris memorato aram Iovis Milichii describit, de qua non minus quam de aede Cyamitae herois sepulcris recentioribus ab illa disiuncta quid iudicandum sit, nunc non quaero: nec de nomine demi constat, quem ibi situm fuisse necesse est. Contra Pythium, quod c. 37, 4 post multa et splendida sepulcra nominatur, quin ad Hermum demum pertinuerit, non dubito[2]. De Thria demo cum Veneris templo et Scambonidis iam diximus. Denique c. 38, 6 postquam Ἐρινεόν ad fines demi Eleusinis commemoravit, iam forum Eleusiniorum, quod ad propylaea templi mystici situm erat, attingit.

Iam confidentius de foris pagorum disputare possumus. Adiacebant iis fana deorum tutelarium, quos suos quisque demus colebat, aliae arae deorum in medio positae erant, saepissime vero sepulcrum aut monimentum herois ibi ostendebatur, qui quasi genius pagi erat, non aliter atque ecclesiae christianae in unoquoque pago aut urbis parochia certis sanctis dedicari solitae sunt. Heros ille aut demi eponymus habebatur aut proavus fabulosus gentis praecipuae in eo pago habitantis aut rex aliquis eius regionis aut denique religionis et cultus conditor, cuius memoriam pie colebant[3]. In hunc locum antiquissima religione sacratum et deorum tutela munitum pagani conveniebant, ut adulescentes in patrii demi tabulas sollemniter referrent, omnesque res civiles eas tractarent, quae ad demos pertinebant.

Talis fori manifesta vestigia Thorici[4] quod hodie est *Therikó* etiam nunc videre possumus. Ubi in ea parte planitiei, quae ad mare adiacet, fundamenta aliaeque reliquiae amplae porticus doricae extant, quam si in terra Romanorum inventa esset, basilicam vocaremus, in Attico solo ei leschae nomen dandum est[5]. Ab ea non procul absunt

---

[1]) etiam h. l. (c. 37, 2) vocabulo χωρίον utitur Pausanias. A sacra ficu forum et suburbium nomen ἱερὰ συκῆ acceperat (Leake *die Demen etc.* p. 135 n. 330); idem de Sciro valet.

[2]) cf. Bursian *Geogr. v. Gr.* I p. 326.

[3]) Exempla e Pausania et lexicographis praesto sunt.

[4]) Leake *die Demen etc.* p. 48. 59. cf. Bursian *Geogr. v. Gr.* I p. 352 sq.

[5]) *Inedited antiquities of Attica* c. 9. Ut E. Zillerus architectus in re prae-

— inter septentrionem et occasum solis — aedificii quadranguli (22 m. longi, 10 m. lati) fundamenta, quod nusquam usque adeo descriptum inveni. Est optima fabrica e marmoreis tabulis (πλίνθοις) constructum, sepulcri speciem praebens, quod aut Cephali aut Thorici[1]) aut alius herois nescio cuius fuisse apparet. Nam casu accidit, ut hic, ubi ipsa vestigia remanent, loci descriptione antiqua careamus.

Iam his subsidiis muniti ad ea fora demorum investiganda venimus, quae in ipsa urbe fuerunt. Atque hic prima se offert nota illa ἀρχαία ἀγορά; de qua Harpocratio testis est s. v. Πάνδημος Ἀφροδίτη. — Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ θεῶν Πάνδημόν φησιν κληθῆναι τὴν ἀφιδρυθεῖσαν περὶ τὴν ἀρχαίαν ἀγορὰν — διὰ τὸ ἐνταῦθα πάντα τὸν δῆμον συνάγεσθαι τὸ παλαιὸν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ἃς ἐκάλουν ἀγοράς. Primum apertum est et a Wachsmuthio p. 485 sq. optime demonstratum haec verba non intellegenda esse de foro in universum, sed de eo foro, in quo comitia habebantur, de cuius generis foris in hac disputatiuncula agimus. Tale igitur forum ἀρχαίας ἀγορᾶς appellatione nobilitatum et ab aliis distinctum prope Veneris Pandemi fanum extitisse Apollodorus, gravis auctor idemque Athenis natus, disertis verbis testatur. Neque quicquam interest, quod vocabuli Πάνδημος a verbis πᾶς et δῆμος derivatio falsa est. Nam licet in deae cognomine et errare potuerit et revera erraverit Apollodorus, certe non potuit vetus illud forum prorsus fingere[2]).

Quod forum quale fuerit, quae hucusque diximus reputantibus obscurum esse nequit. Nimirum forum est eius demi, qui hanc urbis regionem ante synoecismum urbanum occupavit eamque per omne tempus obtinuit. Versamur autem in ea urbis parte, quam Thucydides II, 15, 4 antiquissimam nuncupat, in vicinia vetustissimorum illorum fanorum Bacchi, Iovis Olympii, Telluris Olympiae, Apollinis Pythii[3]): quibus addenda Delphinium et Saturni fanum (Κρόνιον) a Thucydide non nomi-

---

senti adnotavit, aedificium a solo usque ad simam 8,90 m. altum fuit — duo gradus 0,60 m.; altitudo columnarum 6,50 m., totius epistylii 1,80 m.

[1]) Apollod. II, 4, 37. Hesych. s. v. Θορικός.

[2]) Hoc contra Koehlerum (*Mittheil. des arch. Inst.* II p. 175. 246) moneo, qui de vetere foro, an omnino extiterit, dubitat: quamquam in iis quae de Venere Pandemo, quae etiam ἐφ' Ἱππολύτῳ s. Ἱππολυτεία vocabatur, disputat, me assentientem habet. Alia est nec sibi constans Wachsmuthii sententia p. 377. 485.

[3]) de quo vide E. Curtium in Herma Berol. XII p. 492, eundem *Atlas* tab. X, 3. p. 35; Cumanudem Ἀθήναιον VI p. 149; C. I. A. IV 1 n. 373[e].

nata, ita ut ex eius silentio argumentum petere non liceat[1]). Hoc igitur loco, ad meridionale arcis latus, Cydathenaeum demum situm fuisse plerorumque virorum doctorum opinio est, quam ipse quoque sequor, quamquam bene scio topographicis indiciis certis nos carere[2]). Fana ad hoc forum adiacebant Liberi cum theatro, Aesculapii cum fonte, Themidis, Veneris et Suadelae, Telluris et Cereris (Γῆς Κουροτρόφου καὶ Δήμητρος Χλόης), sepulcra Calois et Hippolyti Thesei filii. Haec Pausanias enumerat (21, 6—22, 3): loci perscrutatione nuper instituta innotuerunt praeter alterum fontem sacra nympharum, Isidis et Herculis, fortasse etiam Panis et Mercurii[3]). Forum porticibus ornatum erat, altera inter duo theatra sita, quae nuperrime effossa est, altera Eumenia, quae secundum Vitruvium (V, 9) 'post scenam' theatri constituta erat, idemque arboribus consitum[4]). Atque etiamnunc videre licet hoc loco aream fuisse: nam porticus inter duo theatra conditae et viae quae ante eam erat directiones non concinunt inter se neque umquam concinere potuerunt propter prominentem Bacchi templi angulum: id quod hic locum publicum extitisse clare ostendit. Quodsi huius fori splendorem animo reputaverimus atque sacrariorum multitudinem, principis alicuius demi id fuisse concedemus, qui quidem ni fallor demus Cydathenaeum fuit.

Difficilior est quaestio de foro demi Melitae, quod olim Rangabeus in titulo quodam nominatum esse falso opinatus erat[5]). Athenienses vero, ut mihi quidem iam diu persuasum est, Melitensium forum pny-

---

1) vid. Koehler *Mitth.* II p. 175.

2) Wachsmuthius p. 301. 351. 465 contra hanc opinionem disputavit: sed ἔμπροσθεν τῆς ἀκροπόλεως (Herod. VIII, 53), quibus verbis septentrionale arcis latus designatur, de scriptoris aetate valet; neque ex Strabonis sive Eratosthenis verbis supra p. 153 allatis sequitur Melitam et Collytum demos conterminos fuisse: alioqui scriptor μεταξὺ Μελίτης καὶ Κολυττοῦ dicere debebat. Templum vero Minervae Poliadis in altissimo saxi tractu conditum est, qui sane ad septentrionalem deiectum prope accedit.

3) Huius regionis ab societate archaeologica Atheniensi inde ab d. 19. m. Aprilis a. 1876 effossae accuratissimam delineationem dedit E. Curtius *Atlas* tab. XI p. 34 (cf. Koehler l. l. et praeterea Ἀθήναιον inde a tomo V p. 74 passim). Cui tabulae iam porticus inter theatrum Bacchi et Herodis Attici odeum postea inventa inserenda est.

4) Hesych. s. vv. Αἰγείρου θέα. Παρ' αἰγείρου θέα. θέα παρ' αἰγείρου. Suid. s. vv. Ἀπ' αἰγείρου θέα. Αἴγειρος.

5) *antiqu. hell.* II p. 586 n. 891: ὅρο[ς ἀγο]ρᾶς Με[λι]τ[έ]ων: at cf. C. I. A. I 497.

cis[1]) nomine designabant, a monte sive collium tractu[2]), ad cuius radices situm erat. Quamquam locus noudum accuratius definiri potuit. Qua de re ne fusius disputem, verissima Wachsmuthii verba p. 369 me deterrent. Certe autem in Melita demo sita erat pnyx[3]); eadem ab hemicyclio illo tot virorum doctorum lucubrationibus exagitato[4]) diversa est: haec nobis sufficiant. De sacris quae ad hoc forum pertinebant, fere nihil scimus, quoniam Pausanias in hanc urbis partem aut non pervenit aut certe eam non descripsit. Unum Plutarchus nominat in descriptione pugnae Amazonum et Atheniensium, quam a Clidemo mutuatus est, sacrarium Chrysae[5]). Eodem loco Amazonum sepulcra et Amazoniūm afferuntur: sed sepulcra a porta Itonia usque ad portam Piraicam dispersa fuisse videntur; Amazonium vero si, ut aliquando opinatus sum[6]), idem fuit atque hemicyclium quod hodie extat, propter loci incommoditatem ad pnycem situm esse non potuit. Neque tamen latet me, quam dubia illa coniectura sit. De Melanippi autem Thesei filii sacrario[7]), quod ad forum fuisse verisimile est, hoc tantum scimus quod idem Clidemus dicit id in Melita demo situm fuisse. — Itaque hoc demi foro, vetere religione sacrato, Athenienses, ex quo tempore imperium penes populum erat, utebantur ad universi populi comitia habenda.

Forum demi Coloni, qui ubi situs fuerit, dubitari non potest, E. Curtius in tabula sua praeeunte Boettichero[8]) expressit. Erant ibi, ut ex Pausaniae descriptione (14, 5. 6) apparet, templa Vulcani, qui singulari cultu cum Minerva coniunctus erat[9]), et Veneris Uraniae. Ex Harpocratione[10]) comperimus ibi Eurysacis Aiacis filii aram fuisse: tem-

---

1) Pnycis terminus extat C. I. A. I 501: at de loco ubi inventus sit parum constat.

2) E. Curtius *Erläuternder Text zu den 7 Karten* p. 8.

3) Schol. ad Arist. Av. 997.

4) Postremo delineatum dedit Curtius *Atlas* tab. V.

5) Plut. Thes. 27: πρὸς τὴν πνύκα κατὰ τὴν Χρύσαν. De Chrysa scite disputavit A. Schultz mus. rhen. XXX p. 529 sqq.

6) *Das Alter u. s. w. des sog. Theseion* p. 80. Ibidem in verbis Plutarchi πρὸς τὴν πνύκα κατὰ τὴν Χρύσαν inconsulte κατὰ in καὶ mutavi.

7) cf. Harp. s. v. Μελανίππειον.

8) *Bericht über die Untersuchungen auf der Akropolis* p. 186.

9) Lolling in *Göttinger Gel. Anz.* 1874 p. 17 sq.

10) s. v. Εὐρυσάκειον et Κολωνέτας; quibus conferendus Paus. I, 35, 3.

plum vero quod etiamnunc extat Thesei non fuisse constat, Herculis fuisse probabile est[1]).

De foro Ceramici demi multis verbis disputare non opus est. Iam E. Curtius (*erläuternder Text* p. 26) vidit nonnulla sacraria in foro populi Atheniensium collocata non ad totam urbem, sed tantummodo ad demum Ceramicum pertinuisse. Ipse praeter Leocorium nominat Androgei sepulcrum[2]), quibus addenda videntur ara Eudanemorum[3]), Metroum, fanum Acaci[4]), fortasse etiam ara Misericordiae.

Aream publicam fuisse circa turrim Andronici Cyrrhestae et consentaneum est, cum id aedificium liberum ab omnibus partibus adspectum postulet, et vestigiis comprobatur; unde a Curtio in tabulam inlata est[5]). Ibi complures viae conveniebant: primum ea, qua Pausanias ab Castoris et Pollucis fano ad Prytaneum pergit (18, 1—3), deinde quae a Prytaneo ad theatrum ducit nomine Τρίποδες notata (c. 20, 1), tertia qua pompa Panathenaica a Ceramici foro processit, quarta qua ab Andronici turri ad Diogenis gymnasium pergitur, denique ea quam secutus Pausanias a Prytaneo ad Serapidis templum in inferiore urbis parte situm pervenit (c. 18, 4—5). Adiacebant forum olearium porticibus ornatum, quarum vestigia extant, et forum Hadriani, quod splendidissimarum porticuum, templorum, bibliothecae constructione Caesarea fora Romana quamvis minuta mensura imitabatur. Sed haec ad nostram quaestionem non pertinent, quia inde probari nequit d e m i forum ibi extitisse. Atque quoniam Prytaneum, Basilium et Thesmothesium prope hanc aream sita non ad unum aliquem demum, sed ad totum populum pertinebant, iam difficile est diiudicare, quae ratio fuerit Bucolii, Buzygii et agri famis (λιμοῦ πεδίον), quae cum illis arto vinculo coniuncta erant[6]). Ipsum nomen demi, qui hanc urbis partem obtinuit, admodum dubium est. Plutarchus[7]) Collytum Atheniensem cum Pitana Spartae

---

[1]) Wachsmuth p. 365 collato schol. ad Arist. Ran. 501. Pars autem eius fori χαλκᾶ appellabatur.

[2]) quod Boetticherus Philol. suppl. III p. 369 ex Hesych. s. v. ἐπ' Εὐρυγύῃ ἀγών elicuit. De Leocorio mutavit sententiam Curtius *Monatsber. d. Akad.* 1878, p. 77 sq.

[3]) Arrhianus Anab. III, 16, 8.

[4]) Herod. V, 89. Hesych. s. v. Αἰάκειον.

[5]) Tametsi usque ad Prytaneum pertinuisse videtur.

[6]) vide quae de his aedificiis ac sacrariis disputavit Boetticherum secutus Wachsmuth p. 222. 302. 467.

[7]) de exilio 6; cf. Wachsmuth p. 353.

et Cranio Corinthi comparat, unde sequitur Collytum celeberrimam atque primariam in urbe (ἄστει) regionem occupasse. Himerius autem[1]) vicum nomine Collytum in ipso urbis meditullio (ἐν τῷ μεσαιτάτῳ τῆς πόλεως) novit, qui a demo nomen duxerit, quo rerum venalium foro Athenienses usi sint. Utrumque testimonium ad hanc nos urbis partem ducunt, quae ἔμπροσθεν τῆς ἀκροπόλεως (Herod. VIII, 53) erat et foris referta et aedificiis publicis postrema maxime urbis Athenarum aetate exornata. In huius autem demi foro Aegeidis tribus hermam illum ab eadem tribu constitutum fuisse suspiceris, qui prope Andocidis domum et heroum Phorbantis erat[2]). Quamquam, ut iam dixi, incerta res est.

Possem etiam de ea area disputare, quam E. Curtius ad Serapidis et Isidis templum extitisse in tabula propter vestigia, ut opinor, relicta significavit, ubi Ilithyiae pervetustum fanum et Thesei ac Pirithoi σύνθημα Pausanias vidit[3]); pariterque de eo loco publico, quem Wachsmuthius ex Pausaniae verbis (2, 4) inter portam Piraicam et Dipylum situm fuisse acute demonstravit[4]). At ne certis quae mihi videntur minus certa immisceam, hic iam disserendi finem facio.

Quattuor ad minimum demorum fora aut e vestigiis etiam nunc extantibus aut e scriptorum testimoniis demonstravimus in urbe Athenarum olim fuisse. Quibus cognitis id assequimur, opinor, ut non modo synoecismus urbanus illustretur et quaestio difficilis de comitiorum loco explanetur, sed etiam ut urbis qualis per saecula historiae memoria testata fuerit, magis expressa imago efficiatur.

---

[1]) apud Phot. bibl. p. 375b; cf. E. Curtius *Att. Stud.* II p. 13.

[2]) de quo omnes locos composuit A. Kirchhoff in Herm. I p. 9 sq.

[3]) 18, 4; cf. Schneidewin ad Soph. Oed. Col. v. 1594.

[4]) Wachsmuth p. 197. 213. Ceterum de foro demi, ni fallor, Agrylae ad Pythium et Delphinium, Aegei regiam idemque sepulcrum sito, ubi Mercurii signum ad portas Aegei erat, hoc loco non disputo, quia id extra muros urbis erat. Murus autem ibi sicut prope Dipylum (cf. v. Alten, *Mitth. d. d. arch. Inst.* III p. 30 ὅρος Κεραμεικοῦ) in duorum demorum confiniis fuisse videtur. — Columellam prope Dipylum in antiquo puteo inventam, cui litteris neglegenter incisis inscriptum est ἀγορά (Cumanudis Ἀθήναιον III p. 272), nominasse satis habeo.

DE COMMUNIBUS ET COLLEGIIS QUIBUSDAM GRAECORUM

SCRIPSIT

RUDOLFUS SCHOELL

Inter collegas cum amicitiae vinculo tum studiorum consortio TECUM, HERMANNE SAUPPI, coniunctos dum ipse quoque venerationis ac fidei erga TE meae testimonium proferre instituo, subit animum suavissima recordatio eius temporis quod ante hos quattuor annos una Athenis transegimus: cum Atticae antiquitatis vestigia sive manifesta sive evanida per locorum situs, operum moles et miracula, marmorum denique et titulorum thesauros inexhaustos persequeremur, communicato inter nos laboris pariter et otii fructu. Atque iam recolere mihi videor gratam consuetudinem illorum dierum tantisper intermissam, ad TUUM arbitrium relaturus quae de uno alterove loco antiquitatum Graecarum ex monumentorum fide depromenda habeam. Utor autem epistulae libertate ita, ut quasi per saturam titulos aliquot nuper repertos proponam, quos ad auctorum veterum memoriam recte existimandam nonnihil conferre mihi persuasi idemque TIBI me persuasurum spes est: qui inscriptionibus quam opportune fama litterarum monumentis prodita suppleri possit, praeclaris exemplis non semel docueris.

Initium faciam a lapide Chio in insula reperto. De cuius insulae antiquitatibus ut eis quae olim Adamantius Corais aliique explorarunt iam nova et memorabilia multa addi possent, effecit laudabilis opera virorum doctorum et Graecorum, qui scholam evangelicam Smyrnaeorum bonarum artium patriarum in illa regione sedem ac domicilium

reddiderunt, et Francogallorum de schola Atheniensi, qui partes Graeciae eas maxime quae ad orientem et septentrionem spectant felici successu perlustrarunt. Atque ex Chiis quae protulerunt monumentis litteratis tria et varietate et gravitate rerum prae ceteris insignia sunt. Unum est saeculi quinti decretum de praediis compluribus, publicatis scilicet, vendendis deque periculo emptoris publice praestando — tractavit id Blassius noster in eis quae ad Te scripsit supra p. 127 sq. —; unde non solum rebus publicis Chiorum motibusque intestinis quales in illis civitatibus tralaticias et inveteratas ex titulis similis argumenti Halicarnassensibus Samiis Eresiis Tu ipse identidem enarrasti, nova lux affunditur: sed idem ionicae dialecti antiquioris longe pretiosissimum documentum praestat. Duo autem tituli saeculi quarti acta corporis cuiusdam Clytidarum continent. Atque altero locationes fundorum collegii et conductorum officia accurate ordinantur: ad quod argumentum scis magnam partem scitorum pertinere quae collegia paganorum tribulium eranistarum, denique quaevis sodalitates Graecae lapidi inscribi iusserunt. Altero de sacris communibus collegii agitur: de quo documento singulari et unde etiam ultra artiorem orbem Clytidarum et rerum Chiarum notatu digna redundent addere pauca iuvat eis quae editores Surias (in *Mittheil. des deutschen archäol. Inst. in Athen* III 1878 p. 203) et Haussoullier (in *Bull. de corresp. hellén.* III 1879 p. 47 sq.) adnotaverunt. Verba ipsa ex illorum exemplis integra paucis mutatis exscribo:

. . εσ.ι . . . . [Κλ-
υ]τίδαις ε . . . . [ἐν τῶ]ι τεμένει [τῶν Κ-
λ]υτιδῶν [ο]ἶκον τεμένιον ἱερὸν οἰ[κ-
ο]δομήσασθαι καὶ τὰ ἱερὰ τὰ κοινὰ [ἐ-
5 κ] τῶν ἰδιωτικῶν οἰκιῶν εἰς τὸν κο[ι-
ν]ὸν οἶκον ἐνεγκεῖν. Θυσαμένοις ἐ[κ-
α]λλιέρησεν οἰκοδομήσασθαι καὶ [τ-
ὰ] ἱερὰ τὰ κ[οι]νὰ ἐ[κ] τῶν ἰδιωτικῶν ο[ἰ-
κ]ιῶν εἰς τὸν [κοιν]ὸν οἶκον ἐνεγκε[ῖ-
10 ν.] Ἐπὶ πρυτάνεω[ς Φο]ίνι[κο]ς Πλυντη[ρ-
ι]ῶνος τετράδι [ἔγνωσαν Κ]λυτίδαι [θ-
ύ]σασθαι περὶ τῶν ἱερ[ῶν] τ[ῶ]ν Κλυτι[δ-
ῶ]ν τῶν ἐν ταῖς ἰδιωτικαῖ[ς ο]ἰκίαι[ς

ὄ]ντων, πότερον δεῖ α[ὐ]τὰ [εἰς] τὸν οἶ[κ-
15 ο]ν ὃν Κλυ[τ]ίδαι κατὰ μα[ντεί]αν ᾠκ[ο-
δ]ομήσαντο φέρεσθαι τῆι ἡμέραι ἧ[ι
γί]νεται ἡ θυσία, τὸν δὲ ἄλλον χρόν[ο-
ν] παρὰ τοῖς ἰδιώται[ς] φυλάσσεσθα[ι
κ]αθάπερ καὶ πρότερον, ἢ διὰ παντὸς [α-
20 ὐτ]ὰ κεῖσθαι ἐν τῶι οἴκωι. Θυσαμέν[ο-
ι]ς ἐκαλλιέρησεν διὰ παντὸς τὰ ἱε[ρ-
ὰ κ]εῖσθαι ἐν τῶι οἴκωι. Ἐπὶ πρυτάν[ε-
ω]ς Κλεοχύδους Ποσιδεῶνος τετάρ[τ-
ηι] ἐξ εἰκάδος ἔγνωσαν Κλυτίδαι τ[ῶι
25 ἱ]ερῶι οἴκωι τῶι Κλυτιδῶν ἐν ὧι τὰ [π-
α]τρῶια ἱερὰ κάθηται καὶ τῶι χώρω[ι
τῶ]ι πρὸς τῶι οἴκωι χρῆσθαι Κλυτί[δ-
α]ς κοινῆι, φατρίαν δὲ μηδὲ ἰδιώτη[ν
μ]ηθένα τῶι οἴκωι τούτωι χρῆσθαι [μ-
30 η]δὲ ἄλλωι δοῦναι χρήσασθαι μηθε[ν-
ί]· ὃς δ' ἂν παρὰ ταῦτα ἢ αὐτὸς χρήσητ[α-
ι] τῶι οἴκωι ἢ ἑτέρωι δῶι χρήσασθα[ι,
ἀ]ποδότω καθ' ἑκάστην χρῆσιν ἢ δόσ[ι-
ν Κ]λυτίδαις χιλίας δραχμὰς ἱερὰ[ς
35 το]ῦ Διὸς τοῦ πατρώιου καὶ ταῖς ἐκ [τ-
ῶν] νόμων ἀραῖς ἔνοχος ἔστω. Τοὺς δ' [ἐ-
πι]μελητὰς τὰς γενομένας γνώμας [π-
ερὶ] τοῦ οἴκου καὶ τῶν ἱερῶν καὶ τὰ[ς
δια]μαντείας (?) ἀναγράψαντας εἰς σ[τ-
40 ήλ]ην λιθίνην στῆσαι παρὰ τὴν εἴσ[ο-
δο]ν τοῦ οἴκου.

Tria uno lapide continentur decreta et auguria diversorum annorum de sacris Clytidarum in una atque communi aede servandis: quibus, si modo recte observat editor Francogallus unum tantum versum in parte superiore haustum esse, sumendum erit eiusdem generis seriem continuari una cum decreti primi praescriptis in altera tabula quae perierit exaratam. Fiunt autem decreta per responsa dei, i. e. Iovis Patricii (v. 35) ex sacrificio petita, quibus Clytidae primum templum aedificare quo sacra communia in privatis domibus servata transferantur,

deinde eadem sacra aedi communi non solum sacrificii die inferre, verum per omne tempus servanda tradere iubentur: tertio scito ne quis umquam praeter Clytidas aede illa utatur multarum et execrationum ope cavetur.

Hoc argumento non minus quam ipso nomine adducti sunt editores, ut Clytidas Chios non diversos fuisse indicarent ab Clytiadis illis Eleorum familia sacerdotali et vaticina, quae artem divinam a Clytio Amphiarai nepote iure hereditario traditam profitebatur. Speciosam esse eam comparationem concedo: at vereor ut multum ex ea proficiamus, nedum quicquam referat quaerere, qua via familia Elea vel eius familiae propago nescio quae in Chium insulam pervenerit. Neque enim hinc quod rem maxime continet explicatur: rationem dico inter communia sacra (τὰ ἱερὰ τὰ κοινά v. 4. 8. τὰ πατρῷα ἱερά v. 25) et privatas domus in quibus custodiuntur (αἱ ἰδιωτικαὶ οἰκίαι v. 5. 8. 13. παρὰ τοῖς ἰδιώταις v. 18): unde ea communi aedi non sine contentione et privatorum custodum scrupulis vindicari ex oraculis de eadem re identidem petitis ipsaque forma dei consulendi satis perspicitur[1]. Quae res ut aegre explicatur in familia aut gente ab origine simplici unoque auctore generis deorum tutelarium cultum repetente et in eius religionis partem ex cognatione sanguinis suos pariter omnes vocante: ita ampliorem societatem et artificioso potius quam naturali vinculo coniunctam indicare videtur. Neque dubitare nos patitur tertium decretum. Nimirum v. 28 sq. φατρίαν δὲ μηδὲ ἰδιώτην μηθένα τῷ οἴκῳ τούτῳ χρῆσθαι κτλ. quod privato homini non γένος opponitur neque collegium quodvis sed φατρία, ipsos Clytidas phratriam agnoscere iubemur, qualem notionem facile admittunt sollemnes voces Ζεὺς πατρῷος, τὰ πατρῷα ἱερά, inque eandem partem accipiendum discrimen inter ἰδιωτικὰς οἰκίας et κοινὸν οἶκον, nempe φράτριον.

Fuit igitur civitatis Chiorum in tribus et phratrias divisae pars Clytidarum phratria, nomine patronymico ex more frequenti notata. In eis autem populi divisionibus sane fieri potuit ut antiquae gentes ali-

---

[1]) Vix est quod moneam prorsus diverso consilio privatis sacris opponi publica (δημόσια), veluti in Platonico illo praecepto legg. X p. 910 (cf. 909) κείσθω γὰρ νόμος οὗτος· μὴ κεκτῆσθαι θεῶν ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἱερά. τὸν δὲ φανέντα κεκτημένον ἕτερα καὶ ὀργιάζοντα πλὴν τὰ δημόσια — ὁ μὲν αἰσθανόμενος εἰσαγγελλέτω τοῖς νομοφύλαξιν, οἱ δὲ προσταττόντων εἰς τὰ δημόσια ἀποφέρειν ἱερὰ τὰ ἴδια e. q. s.

quot olim attributae etiam quarto saeculo integrae conservarentur: atque id ipsum nescio an comprobetur fragmento laterculi in Chio insula et ipso nuper reperto (*Bull. de corr. hell.* III 1879 p. 323)

Γ///Ο Τ Τ Ε Ι///
Δημογενίδ[αι]
Θραικίδαι
οἱ Τηλάγρου
οἱ Ἕρμιος
οἱ Διονυσοδώρου
καὶ Ποσειδίππου

ubi gentium et familiarum nominibus recensis in versu primo litteris maioribus exarato, quem editor perperam supplendum putat Ποττει[δᾶνι], phratriae nomen praescriptum esse dixeris, veluti Π[ρ]ο[ι]τεῖ[ς] vel tale quid. Attamen longe maiori numero civium quos phratria comprehenderit iam tum non fuisse nisi fictam gentilitatem et manifestum est et de illis maxime civitatibus Graecorum Asianorum disertis testimoniis firmatur.

Iam ex Clytidarum decretis custodia sacrorum a privatis domibus in commune fanum translata praecipuum quoddam ius familiarum patriciarum, opinor, tollitur. Quae res per se levidensis aut fallor aut multo gravioris commutationis nota et tamquam clausula quaedam apparet. Nimirum proclivis suspicio est, qui usque adeo custodes illorum sacrorum fuerunt, eorundem antiquitus ipsos possessores cultoresque peculiares fuisse, eaque sacra tempore procedente demum ex propriis et privatis communia, ex gentiliciis phratrica reddita esse, ut tamen exinde pristinis domiciliis dumtaxat servanda relinquerentur. Quod cum statuo non vereor, ne Tibi, Hermanne Sauppi, hariolari videar: qui quas per vices societates antiquissimae a gentilitatis fundamento profectae pedetemptim in civitates creverint et quanta religio fuerit in antiquioris status si non forma at umbra retinenda, probe perspectum habeas. Neque desunt exempla similia de aliis civitatibus Graeciae relata: ex quibus simul quo valeat eiusmodi mutatio recte aestimare licebit.

Nobilissimum est de Atheniensibus et Cyrenensibus Aristotelis testimonium in politicorum septimo (qui olim sextus numerabatur) 2, 11 p. 1319, ubi exponit quibus artibus multitudinis dominatus fulciatur:

ἔτι δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα κατασκευάσματα χρήσιμα πρὸς τὴν δημοκρατίαν τὴν τοιαύτην, οἷς Κλεισθένης τε Ἀθήνησιν ἐχρήσατο βουλόμενος αὐξῆσαι τὴν δημοκρατίαν, καὶ περὶ Κυρήνην οἱ τὸν δῆμον καθιστάντες. φυλαί τε γὰρ ἕτεραι ποιητέαι πλείους καὶ φατρίαι, καὶ τὰ τῶν ἰδίων ἱερῶν συνακτέον εἰς ὀλίγα καὶ κοινά· καὶ πάντα σοφιστέον ὅπως ἂν ὅτι μάλιστα ἀναμιχθῶσι πάντες ἀλλήλοις, αἱ δὲ συνήθειαι διαζευχθῶσιν αἱ πρότεραι. Constat ex hoc loco gravissimi auctoris — quod dudum intellectum a Boeckhio aliisque mirabili consensu aspernati sunt quicumque antiquitatum Graecarum volumina composuerunt — Athenis a Clisthene non modo tribuum verum etiam phratriarum et numerum auctum et condicionem mutatam esse. Cum ea autem mutatione id ipsum arte cohaeret quod eodem exemplo firmat Aristoteles τὰ τῶν ἰδίων ἱερῶν συνακτέον εἰς ὀλίγα καὶ κοινά. Quod quid sibi vellet, nemodum probabiliter explanavit. Nimirum ἴδια et κοινά non diverso modo distinguuntur atque in illo titulo Clytidarum Chiorum. Sacra autem privata familiarum et gentium nobilium communia reddita sunt ita, ut iam novae phratriae, cui ipsa gens attributa est, cum sociis omnibus communicarentur. Etenim in phratrias Clistheneas cum veteres gentes patriciae tum reliquae familiae civium, quibus aut nulla gens aut ficta esset, distributae sunt — quo spectat lex, Clisthenea opinor, servata a Philochoro τοὺς δὲ φράτερας ἐπάναγκες δέχεσθαι καὶ τοὺς ὀργεῶνας καὶ τοὺς ὁμογάλακτας (Photius v. ὀργεῶνες). Inde vero consectarium erat, ut in societatem sacrorum patriciorum etiam plebei phrateres vocarentur. Atque sic demum explicatur quo iure Aeschines adversarium ipsi generis humilitatem exprobrantem refutaturus de se praedicet εἶναι ἐκ φρατρίας τὸ γένος ἣ τῶν αὐτῶν βωμῶν Ἐτεοβουτάδαις μετέχει, ὅθεν ἡ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Πολιάδος ἐστὶν ἱέρεια (2, 147). Eteobutadarum igitur antiquissimae gentis aris quamvis ipsorum curae utique relictis — neque enim iura et privilegia gentium sacerdotalium sustulerant Athenienses —, tamen communiter etiam phrateres universi utebantur. Qua ratione cum fieri nequeat quin gentilitatis et nexus solvatur et vis debilitetur, facile intellegitur quo consilio in instrumentis popularis imperii corroborandi hoc quoque ab Aristotele censeatur.

Quod autem ab eodem Clisthenes in pauciora et communia coëgisse sacra privata dicitur, non ita accipiendum est, quasi ille religiones privatas ullas sustulerit. Verum ex magno numero sacrorum

gentiliciorum pauca tantum eaque nobiliora selegit quae communia et phratrica redderet: quo effectum est, ut illa mox dignitate praevalerent, reliqua peculiaribus suis cultoribus relicta fere sorderent. Praeterea cum sua quaeque phratria sacra haberet, duorum numinum Iovis Penetralis et Apollinis Patricii religio communis omnium phratriarum extitit. Haec enim numina ex gentiliciis qualia primitus erant postmodum phratrica reddita et cum phratriis universis communicata esse praeter alia inde consequitur, quod ex cultu utriusque dei ingenua civitas Attica probari solita est. Cui rei non repugnat immo calculum addit quod singulis phratriis propria fana Apollinis Patricii fuisse titulo docemur nuper a Koehlero publicato (*Mittheil. des deutschen arch. Inst. in Athen* II p. 186) [Ἱ]ερὸ[ν Ἀπόλ]λων[ος πατρ]ώιου φ[ρατρία]ς [Θ]ερρικ[ια-δ]ῶν (?): cui comparandus alter C. I. G. n. 463 Ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἑβδομείου φρατρίας Ἀχνιαδῶν; tertium Koehlerus adiungit qui non habet nisi Ἀπόλλωνος πατρώιου. Id ipsum autem quod duo sacra prae ceteris popularia instituta sunt per totam civitatem curiatim colenda, quantopere cum universo consilio Clisthenis reipublicae ordinandae conveniat, verbo monuisse sat est.

Ceterum qua potissimum ratione Clisthenes veteres ac veras gentes cum novis ficticiisque in singulas phratrias contribuerit, ea de re non minus quam de numero novarum phratriarum anceps est iudicium. Nam de his qui nuper in phratriarum mutatarum statum earumque cum civitate Attica necessitatem non sine laude inquisivit Buermannus prorsus incredibilia protulit. Neque ea quaestio in transcursu expediri potest. Unum noto, videri in familiis contribuendis praeter cognationem domicilii et vicinitatis praecipuam rationem habitam esse. Id enim cum ararum fanorumque tum praediorum communium quae phratriis fuisse constat usus commendare debebat. Neque profecto fortuito accidit quod in eo documento quod unum explicatiorem notitiam de administratione phratriarum nobis praestat, Dyalensium dico titulo de fundo communi locando (C. I. A. II 600), et praedium in Myrrhinunte pago situm et redemptor et uterque phratriarchus locatores Myrrhinusii esse reperiuntur. Hunc vero titulum, cui cum una Athenis versaremur ante paucos menses reperto memini quantum Tu studii impenderis, mittere nequeo quin una saltem quantumvis levi correctione impertiam. Lego enim v. 42 sqq. [ἐὰ]ν δὲ βούληται ἐν τοῖς δέκα ἔτεσιν Διόδω[ρ]ος ἢ οἱ

κληρονόμοι αὐτοῦ, καταβαλόντ[ες] Δυαλεῦσιν (πεντακισχιλίας) δραχμὰς καὶ ἐάν [τινα] μίσθωσιν προσοφείλωσιν, ἀποδ[ό]σθωσ[α]ν α[ὐ]τοῖς οἱ φρατρίαρχοι καὶ Δυαλεῖς τὸ χ[ωρί]ον κομισάμενοι τὸ ἀργύριον. ἐὰν δ[ὲ μὴ] καταβάλωσιν τὰς (πεντακισχιλίας) καὶ ἐάν τι προσ[οφ]είλωσιν τῆς μισθώσεως ἐν τοῖς δέκα ἔτεσιν, μὴ εἶναι Διοδώρῳ μηδὲ τῶν Διοδώρου μηθενὶ συνβόλαιον πρὸς τὸ χωρ[ί]ον τοῦτο μηθέν, καὶ μισθωσά⟨ν⟩τωσαν Δυαλεῖς ᾧ ἂν βούλωνται τοῦ πλείστου. Editores v. 43. 44 καταβαλόντ[ων] supplent: quo et structura evertitur et sententia obscuratur; ad verba autem ἐὰν δὲ βούληται non ex vocabulo καταβαλόντες, sed ex apodosi ἀποδόσθωσαν αὐτοῖς — τὸ χωρίον supplementum petendum est. Quamquam maior restat difficultas in ipsis rationibus summarum posita: quam me alio loco soluturum spero.

Sed iam in ordinem me recipio. Domicilii et propinquitatis nexui dixi in novis phratriis componendis suum momentum tributum fuisse quo eodem fundamento quemadmodum Clisthenes in pagis ad administrationem rerum civilium vocandis usus sit nemo ignorat. Non quo novum illud et singulare primus repperit: immo inde a remotissima aetate duo illa elementa antiquissimae societatis genus et sedes extiterunt: quae ab origine unita deinceps adversaria ad civitates veteres omnes formandas certatim valuerunt. Quid? Praeferendam esse gentilitati vicinitatem iam Ascraeus vates monuit illis

τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει·
εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγκώμιον ἄλλο γένηται,
γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.

Atque apud Atticos priscos cum phratriae gentilitatis notam et indolem integram usque ad Clisthenis tempora retinerent, a vicinitatis ratione profectum est institutum naucrariarum et trittyum regionatim descriptarum: eiusque nexus memoriam religione et diuturna consuetudine sancitam communia Epacrensium Mesogeorum Tetrapolitarum — ut his utar quae certa sunt — ultra Clisthenis aetatem ad tertium etiam saeculum a. Chr. propagarunt. Iam Clisthenes elementa illa diu contraria ita temperasse censendus est ut, cum civitatis iura tam ex phratria quam ex pago censeri vellet, gentibus patriciis in novas phratrias distributis alias gentes vel simulacra gentium adiungeret ratione habita domicilii, pagatim vero solo Attico diviso ipsos pagos nullo vicinitatis respectu discriberet in novas tribus, quae quidem omni vinculo et generis et sedis solutae una ratione civili continerentur.

Porro quae Athenarum exemplo innotuerunt, eadem sine dubio in aliis urbibus Graeciae haud paucis adminicula quaesita sunt quibus duces populi fractis opibus optimatium popularem statum firmarent. Id de Cyrenis Aristoteles testatur: de Heraclea Pontica simile quid Aeneas Stymphalius in commentario de obsidione arcenda cap. 11, 10 παραπλησίως δὲ ἐν Ἡρακλείᾳ τῇ ἐν τῷ Πόντῳ οὔσης δημοκρατίας καὶ ἐπιβουλευόντων τῶν πλουσίων τῷ δήμῳ καὶ μελλόντων ἐπιτίθεσθαι, προγνόντες οἱ προστάται τοῦ δήμου τὸ μέλλον, οὐσῶν αὐτοῖς τριῶν φυλῶν καὶ τριάκοντα (τεσσάρων cod. corr. Haasius) ἑκατοστύων, ἔπεισαν τὸ πλῆθος ἑξήκοντα θεῖναι (εἶναι cod. corr. Hercherus) ἑκατοστύας, ἵνα ἐν ταύταις καὶ εἰς τὰς φυλακὰς καὶ εἰς τὰς ἄλλας λειτουργίας φοιτῶσιν οἱ πλούσιοι. Nam ἑκατοστύν, quae in urbibus Asianis, velut praeter Heracleam Lampsaci Byzantii Ephesi Sami sive tribus (φυλῆς) sive χιλιαστύος divisio deprehenditur, phratriae vice fungi constat.

Omnino in illius regionis urbibus ionicis et aeolicis gentilitatis species tamquam nota ingenuae civitatis necessaria agnosci numquam desita est. Cuius rei non modo ipsae notiones ἑκατοστύς, χιλιαστύς (χελληστύς apud Methymnaeos) indicio sunt ex numero ficticio nimirum et composito domuum sive patrum familias repetendae: gravius est quod ex Samiorum saltem decretis alienigenae civitate donati etiam genti adscribi iubentur: δεδόσθαι αὐτοῖς πολιτείαν ἐπ' ἴσῃ καὶ ὁμοίῃ καὶ αὐτοῖς καὶ ἐκγόνοις, καὶ ἐπικληρῶσαι αὐτοὺς ἐπὶ φυλὴν καὶ χιλιαστὺν καὶ ἑκατοστὺν καὶ γένος, καὶ ἀναγράψαι εἰς τὸ γένος ὃ ἂν λάχωσιν, καθότι καὶ τοὺς ἄλλους Σαμίους (vid. C. Curtius *Urkunden zur Geschichte von Samos* 1877, p. 23. 28. 31). Unde efficitur ne gentium quidem nisi simulacra atque adeo mera nomina remansisse. Id secus fuit apud Athenienses: qui adscripticios cives phratriis necessario attribui voluerunt, gentibus publice recipi noluerunt. Neque enim periculum est ne quis eo referat Piraeensium scitum C. I. A. II 589, quo inter privilegia Callidamantis Chollidensis id quoque habetur κατανεῖμαι αὐτὸν καὶ εἰς τριακάδα ἣν ἂν αὐτὸς βούληται. Quae Piraeensium τριακάδες certe non gentes interpretandae sunt — quae quo iure civi Atheniensi a paganis tribui poterant? ne memorem constare de gentilibus unius gentis diversis pagis adscriptis —: sed potius collegia quaedam paganorum, nomine a gentilitatis similitudine petito, quae sacrificia epulasve festis diebus una celebrarent; quemadmodum Lacedaemoniorum in syssitiis erant contubernalium

τριακάδες. Conferri aliquo modo potest quod Philadelphiae collegia opificum, velut sutorum et lanariorum φυλαί appellantur (ἡ ἱερὰ φυλὴ τῶν ἐριουργῶν C. I. G. 3422: ἡ ἱερὰ φυλὴ τῶν σκυτέων Le Bas-Waddington *Asie min.* n. 656).

His ultro devenit disputatio ad aliud genus collegiorum, quod licet origine diversum sit ab eis de quibus modo exposui, cum et naturali sanguinis nexu sive vero sive ficto et domicilii vicini vinculo omnino destituatur, tamen sacrorum communium eorundemque privatorum cultu exemplar gentilicii consortii formamque expressit. Probe nosti illas mystarum thiasotarum therapeutarum reliquorum id genus sodalitates, quarum luxuriosa seges inde fere ab Alexandri aetate pullulare coepit nec nisi imperatorum christianorum temporibus extincta est. Quorum collegiorum et frequentia et opera inprimis factum est, ut mysteria novicia atque peregrinorum numinum, Asianorum potissimum et Aegyptiacorum, sacra caerimoniae ritusque per totam Graeciam primo occulte serperent mox gliscente in dies foeda superstitione et patriae religionis tristi fastidio palam propagarentur. Atque in hac quoque re primariae partes fuerunt Graecorum Asianorum et insulanorum, qui quidem sacris orgiis Orientis et hospitium primi parabant et viam muniebant in Europam transmigraturis. Non mirum igitur quod illae regiones prae ceteris omnibus generibus collegiorum initiorumque sacrorum circumfluxisse ex magno numero inscriptionum deprehenduntur.

De eorum uno nunc occasione data pauca proferam. Bubulci (βουκόλοι) Bacchi mysteriorum cultores Pergami consistentes nuper innotuerunt ex titulo in honorem magistri a collegio dedicato, quem ediderunt C. Curtius (in Herma Berol. VII p. 39) et accuratius exscriptum G. Earinus (Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη τῆς εὐαγγελικῆς σχολῆς II ἐν Σμύρνῃ 1876 p. 4). Quo titulo continetur album collegii primo fere post Christum saeculo tribuendum: eos enim temporis fines ut statuamus et Romanorum nominum quae inter viginti quattuor nomina sex reperiuntur ratio innuit nec dissuadere videtur scripturae genus. Leguntur haec:

Οἱ βουκόλοι ἐτείμησαν | Σωτῆρα Ἀρτεμιδώρου τὸν | ἀρχιβουκόλον διὰ τὸ εὐσεβῶς | καὶ ἀξίως τοῦ καθηγεμόνος | Διονύσου προΐστασθαι τῶν | θείων μυστηρίων.

Εἰσὶν δὲ οἱ βουκόλοι· | Α. Ἀ[νεί]νιος Γάλλος (Αἰ[πί]νιος Γάλλος Eari-

nus, quae correxi; v. 19 nomen est A. Ἀνείνιος Ἰουλιανός,| Περιγέ[νης] Περιγένους etc. Duodeviginti nomina bubulcorum sequuntur

Ὑμνοδιδάσκαλοι· | Μηνόφιλος Ἡρακλείδου Φῆλιξ, | Ἀσκληπιάδης Μόσχου Πάρις.

Σειληνοί (Σειλήνιοι Curtii exemplum)· | Μηνόφαντος Μηνοφάντου Πολύβιος, | Θάλαμος Ἀσκληπιάδου. | Π. Οὐήδιος Νάσων χορηγός.

Bubuleis in illa parte orae Asianae olim certum locum atque ordinem non contemnendum in sacris Deorum faciendis tributum fuisse sunt quae fidem faciant. Notus est Ordes Crinidis sacerdotis ἀρχιβουκόλος quo auctore Chrysae templum Apollinis Sminthei conditum ferebatur: de quo Polemo rettulit in descriptione Ilii (fr. 31 Prell.). Itemque Ilii repertus est lapis C. I. G. 3605 = Le Bas-Waddington n. 1038, ubi rex aliquis Pergamenus — ut Boeckhius probabiliter coniecit (cf. Le Bas-Waddington n. 1743[b]) — litteris ad senatum populumque Iliensem datis Minervae Iliacae sese boves et bubulcos dedicasse memorat: ..... β]α[σ]ιλέως [Ἀττάλου? υἱ]ὸς, Ἰλιέ[ων] τῇ βουλ[ῇ καὶ] τῷ δήμ[ῳ]. Χάριν ἣν ἔχων δια[τελῶ ὑμ]ῖν ἐν παντὶ καιρῷ περὶ τῆς πρὸς τὸ θεῖον εὐσεβείας καὶ μάλιστα πρὸς τὴν Ἀθηνᾶν ἐκ τῆς πρότερον γραφείσης ἐπιστολῆς πρὸς ὑμᾶς πέπεισμαι πᾶσι φανερὸν πεφοχέναι, καθ' ἣν τάς τε βοῦς καὶ τοὺς βουκόλους ἀνετίθειν· [κ]αὶ νῦν δὲ χώραν ἠγόρα[κα.....[1])

Ad exemplum autem eius usus ex Mysia confini, ni fallor, accepti βουκόλων nomine sodalitas ministrorum Bacchi ornari potuit. Neque enim de pastorum Pergamenorum collegio tamquam consimili collegiis opificum illis cogitare C. Curtius debebat. Mystica vero eius nominis ratio etiam distinctius agnoscitur in alio laterculo mystarum Bacchicorum Apolloniae Ponticae lapidi inciso (C. I. G. 2052): ubi inter munera collegii βουκόλος recensetur iuxta λικναφόρον, κισταφόρον, ἀρχιμύστην, ἀρχιβασσάραν, alios.

Iam bubulcorum Pergamenorum munera mystica nominatim afferun-

---

1) Similis dedicatio (ἀνάθεσις) in fragmento legis Pergamenae (Le Bas-Waddington n. 1720[b]) affertur in fundorum sacrorum, ut videtur, recensu. Ubi quod etiam παράδεισος nominatur, in memoriam vocat κυνήγια, quod genus certaminis ludorumque apparet in inscriptionibus Iliensibus ib. 1743[i] cf. 1743[h]. Eiusdem originis est [Φ]λαβιανὸς ὁ καὶ Ἐνηλύνων (Ἐνελαύνων? Wadd.) ἀρχικύνηγος ib. 1743[a], cuius num similis ratio sit atque ἀρχιβουκόλου, non quaero: in promptu sunt κυνηγῶν collegia qualia inveniuntur Haliarti Steiri Philippopoli (Lueders *die dionysischen Künstler* in appendice n. 34. 35. Dumont *inscr. de la Thrace* p. 19 n. 42).

tur choregus et Sileni duo, quorum illi ornandum his ducendum fuisse thiasum dixeris, cuius imaginem nimirum ipsum collegium in sacris mysteriis agendis referret. Notabilius illud est quod bubulcis sui praesto erant ὑμνοδιδάσκαλοι — ipsa vox nova neque aliunde comperta — qui hymnis compositis choro bubulcorum numina propitiaturo verba praeirent. Hymnorum autem quam multiplex et necessarius in sacris orgiis usus abususve fuerit, quis ignorat? Neque est cur de illis hymnorum auctoribus nimis honorifice sentiamus. Quid autem, quod cuius generis ars eorum fuerit hodieque ex indiciis sat certis, ut mihi quidem videtur, diiudicare licet?

Est in manu collectio hymnorum quae Orphei nomen puerili fraude mentitur. Quos hymnos cum ab Orphicis Lobeckius merito abiudicavit, idem eos ne in usum quidem qualemcumque mystarum scriptos, sed tamquam exercitationis gratia conditos videri non probavit. Quamquam de natura carminum eorum longe verius iudicium tulit hierophantarum et veterum et recentiorum censor invictus quam qui post illum sive Neoplatonicorum arcana sive adeo Stoicorum notiones morales in eis odorati sunt: cum precationes istae sacrificae et epiphonematum ampullae nullo discrimine in saccum fusae non minus abhorreant a sententiosa Stoicorum gravitate quam a Platonistarum abstrusa et recondita subtilitate. Iam qui eiusmodi invocationibus ad deorum numina sibi concilianda utuntur, in ipsis carminum clausulis in universum plerumque μύσται, aliquotiens μυστιπόλοι, νεόμυστοι, ὀργεοφάνται significantur: bis quidem disertior appellatio profertur, hymn. I in Hecaten 8 sq.

λισσομένοις κούρην τελεταῖς ὁσίῃσι παρεῖναι,
βουκόλῳ εὐμενέουσαν ἀεὶ κεχαρηότι θυμῷ,

et XXXI in Curetes 6 sq.

ἔλθοιτ' εὐμενέοντες ἐπ' εὐφήμοισι λόγοισιν,
βουκόλῳ εὐάντητοι ἀεὶ κεχαρηότι θυμῷ.

Quibus in explicandis operam perdidisse interpretes, sicut Petersenum in Philol. Gotting. XXVII p. 419, nihil attinet exponere, cum vera ratio iam in promptu sit. Non vereor igitur ne in petulantiae vituperationem apud Te incurram cum contendo hymnos illos cum litandi praeceptis adiunctis reapse mystarum coetibus qualis bubulcorum Bacchicorum est destinatos fuisse. Neque obstat in illo religionis genere et statu numinum quae ibi invocantur magna et indiscreta turba: in qua tamen

Baccho eiusque choro praecipuum locum vindicari non fugit doctos interpretes.

Denique huc facit titulus quem Perinthi in urbe Propontidis olim vidit Cyriacus Anconitanus 'Graecis litteris et eximiis consculptum', nuper demum ex Thraciciis Cyriaci mss. editus a Dumontio *inscriptions et monuments figurés de la Thrace* 1876 p. 38 et aliquanto integrior a Mommseno in ephemeridis epigraphicae vol. III p. 236. 332, unde parum accurate repetiit Kaibelius in supplemento epigrammatum Graecorum inserto Musei rhenani volumini XXXIV p. 213:

Εὐτυχεῖτε. Χρησμὸς Σιβύλλης·
Ἐπὰν δ' ὁ Βάκχος εὐάσας πλησ[θήσ]ετα[ι,
Τότε[1]) αἷμα καὶ πῦρ καὶ κόνις μιγήσεται.
Σπέλλιος Εὐήθης ἀρχιβουκόλος
Ἡρακλείδου Ἀλεξάνδρου ἀρχιμυστοῦντος.

Nominum indicem quem adiunxit Dumontius eumque secutus Kaibelius, ad alium titulum pertinere recte observavit Mommsenus.

Vaticinium Sibyllae magister bubulcorum Perinthiorum lapidi inscribendum curavit trimetris conceptum, notabili exemplo: nam quem unum usque adeo novimus versum Sibyllinum iambicum Etym. M. v. Ἀρόη:

Ἀρόη τρίπυργος ἔσσετ' εὐδαίμων πόλις,

de eius origine propter ipsum metrum dubitatum est ab Alexandro orac. Sibyll. II p. 109 sq. Quodsi oraculum illud Perinthium recte intellego, eo nihil nisi apparatus sacrificii mystis furore Bacchico satiatis faciendi per imaginem praecipitur. Id autem facile apparet quam apte congruat cum consilio hymnorum illorum, quorum unusquisque quibus rebus singulis deis res divina facienda sit in fronte sollicite adnotatum habet: similia singillatim descripta leguntur in reliquis poematis quae Orphei nomen prae se ferunt, velut Argonauticorum v. 323 sqq. Lithicorum v. 728 sqq.

Ex his aliquando de origine et usu poësis illius si dis placet Orphicae paulo magis definitam opinionem animo informare licebit. Sedes quoque eius nescio an in ea regione iure quaeratur, ubi βουκόλων collegia extitisse tituli testantur. Cuius poësis quod nulla fere apud veteres ipsos memoria reperitur, id non mirandum in obscuris hymnographorum

---

1) πλησθήσεται Kaibelius, τότε Wilamowitzius restituit: traditur πλησταπουε.

fetibus per mystarum secreta conventicula propagatis. Quamquam hi quidem ipsi quos legimus hymni quo tempore conditi quove in corpus sancti vatis nomine adornatum congesti sint, quaestionem difficilem nolim cupidius nec nisi ab omni parte ponderatam decidere: quae res post divinam G. Hermanni TUI disputationem de aetate scriptoris Argonauticorum subtilius examen et desiderat et meretur.

Ceterum cum omnino carminum ignobilium quae Orphica inscribuntur ante infima tempora Tzetzarum et Lascaridum nemo mentionem faciat: eo memorabilius est aliquod lectionis illorum vestigium quamvis tenue nuper in ipsa Thracia interiore scilicet Threicii vatis quae fabula ferebat incunabulis repertum esse. Nam in oppido *Eski-Zaghra* ad Haemi radices sito quod novissimo bello a Turcis et Russis bis expugnatum dirutumque est, epigramma a. 1877 comparuit litteris inferiorum temporum exaratum, quod editum est ex exemplo Bondii Americani in *Bull. de corr. hell.* II p. 401 (indeque repetitum a Kaibelio suppl. epigr. Graec. Mus. rhen. vol. XXXIV p. 212):

Ἀγαθῇ τύχῃ·
Τήρη[ς] Πα(ί)ων [ὧδε τὸν] Ἀπόλλωνος ἑταῖρον
Ὀρφέα δαιδαλέης θῆκεν ἄγαλμα τέχνης·
Ὃς θῆρας καὶ δένδρα καὶ ἑρπετὰ καὶ πετεηνὰ
Φωνῇ καὶ χειρῶν κοίμισεν ἁρμονίῃ.

Versum primum num recte suppleverim servato ethnico Παίων quod nomine Thracico satis commendari videtur — traditur THPHEΠAWNI - -, non diiudico: certe reiciendum quod Kaibelius proposuit - - Παιῶνι [τὸν] Ἀπόλλωνος ἑταῖρον. Hos autem versus qui olim Orphei statuae subscripsit, tertio eorum expressit personati Orphei verba in Argonauticis v. 74 κηλήσω δέ τε θῆρας ἰδ' ἑρπετὰ καὶ πετεηνά: ac prodit imitatorem vox δένδρα inter aliena importune intrusa nec notioni κοίμισεν conveniens.

Sed nimis diu me insistere sentio vestigiis mysticorum collegiorum versificatorumque, rerum levicularum et parum dignarum eius quem celebramus dici laetitia. Unum igitur restat, ut iam huius collegii amicorum nomine, qui cum maxime ad TUA natalicia, HERMANNE SAUPPI, agenda convenerunt, faustis votis TE TUAQUE prosequar: quos sive Sauppianos sive Sauppiastas certe TUOS esse mansurosque esse persuasum habeto. Vale.

ADDENDA ET CORRIGENDA

p. 15 ad sent. 6 exempla adde: Georgid. p. 18, 15 (Σέκστου); Sext. 407 Ruf.

p 17 ad sent. 19 congestis exemplis adde: Anton. I 31 p. 39, 1 et Maxim. 12 p. 569, 17.

p. 22 in adnot. ad sent. 54 addas: ἀσφαλέστατοι coni. Nauck 'mélanges Gréco-Rom.' IV p. 229.

p. 24 ad sent. 69 laudatus Isocratis ad Nicocl. locus est 38, non 11.

C. W.

Typis expresserunt Breitkopf et Haertel Lipsienses.



